SALES EPIGRAMMATICI 10. CENTURIJS, SIVE UNO MILLENARIO, ...

Gerard : de Groos, Sebastian Labe, Johann Georg Heintsch




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 K
25



Dom. Prof. Rom.

In fine canorus

Ludit, et alludit

Ornat, et infert

SALES EPIGRAMMATICI

DECEM CENTVRIIS

expressi.

Authore


P. Sebastiano Labe,

è Societate Iesu.

Bohemo Rokiczanensi

primum in lucem editi.

1685.





SALES EPIGRAMMATICI

X. CENTURIIS,

SIVE

uno Millenario, expressi:


AUTHORE

P. SEBASTIANO LABE

è SOCIETATE JESU,

Cum Privilegio Sac: Cæs: Regiæq; Majest: & Licentia Superiorum.






PRAGÆ, Typis Universit: Carolo-Ferd: in Coll. Soc JESU, ad S. Clementem, Anno 1685.

SUMMA
Cæsarei Privilegij.

Cum Opusculum hoc, cui titulus: Sales Epigrammatici, X. Centurijs expressi, *operâ cujusdam Sacerdotis, è Societate IESV Provinciæ Bohemiæ, conscriptum, in lucem prodeat: omnibus Typographis per universum Romanum Imperium, & Provincias Hæreditarias, amicè intimatur, ne quis illud (citra expressum prædictæ Societatis consensum) recudere, vel alibi forte recusum, in hasce partes invehere, aut divendere præsumat sub gravibus pœnis in Diplomate Cæsareo latius expressis.*



Sub felicibus AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI

AC

REVERENDISSIMI

Domini, Domini

GODEFRIDI KAPAUN,

LIBERI BARONIS

DE SWOYKOWA;

EPISCOPI

Samandriensis:

ARCHIDIACONI

ET

INFULATI PRÆLATI

Crumloviensis:

Sacræ Cæsareæ Majestatis

CONSILIARII, *Nec*

NEC NON

Per Diſtrictum Bechinenſem

ARCHIEPISCOPALIS

VICARII. &c.

Politioris Literaturæ

Promotoris ac Mecœnatis gratioſiſſimi,

Has DECEM Epigrammatum

seu COHORTES, ſeu CENTURIAS,

Ære ſuo conſcriptas,

Ductoribus

Ejuſdem ILLUSTRISSIMI

Gentilitijs LEONIBUS,

Ex prælo, ad amica prælia,

in apertum campum

lucémque publicam

eduxit

AC PRÆSENTAVIT

Æternùm devota

Typographia Academica Coll: Soc: Jesu

Prag. ad S. Clementem.

PRÆFATIO
ad Lectorem.



NE mirare, Lector benevole, à me, quem pro facris roſtris, etiamnum audis Oratorem, nunc Sales & facetias Tibi proponi. Debebatur id officij votis Amicorum, qui has ingenij mei minutias; ſive pro exhilarandis, amœniores Muſas amantium animis, ſive ſtimulandis ad imitationem Tyronibus, à me propè extorſerunt. Quibus acquieſcendum, eò ſecuriùs promptiùsque putabam; quòd exempla gravium virorum mihi pro clypeo non deeſſent; qui ſepoſitis quandoque magìs ſerijs, minutiora otij beneficiô ſectari, eadem poſteritati, typò transmiſerunt. Honeſta certè ſtudia, quantumvìs parva videantur, quia fructu ſuo non carent, fruſtra reprehenderit boni communis ſtudioſus.

Id unicè Te, hòc loci, rogatum velim, nè præpoſtero Epigrammatum noſtrorum ordine, & leviori, quàm fortè quæſiviſti, acu-

mine offendi Te patiare. Siquidem non [illegible] calami incurrerunt, ita in chartam projecta, hac ipsâ varietate, Lectori benevolo, placere poterunt, unáque testari; *Rebus in humanis, nihil omni ex parte beatum.*

Demum, protestor candidè, propositi mei non esse, ut stylô hoc meo lædam quempiam; sed aut prolim, aut delectem. Culpâ suâ læditur, quisquis armatam aculeô Rosam, minus cautè contrectans, vulnus refert à spinis: aut usu indebito, sugit de melle venenum.

Cæterum, siquidem Tibi Sales nostros, primis quinque Centurijs expressos, nuper typis vulgatos, pleró squead salivam fuisse intelligam, en alias quinque Centurias (quemadmodum adpromittere me meminit) isthic adjicio, non minus, ut spero, placituras; quandoquidem eodem ex fonte collectim omnes promânarint.

Mille proinde Sales seu Epigrammatia Tibi Lector Candide, unà mecum, coràm sisto ad obsequia. Dabam Vetero-Pragæ ad S. Clementem, Kalendis Januarij, 1685.

S. L. S. J.

Encomia Operis, & Authoris.

In Nomen Authoris.

Labe! tuum Nomen patrium [illegible]?
In quo continuo [illegible] Olor.
„ Labe Bohemicè: fluvium *Albim significat.*

Aliud simile.

Authoris Metamorphosis.

Labe, quid hoc? patrium transisse videris in *Albim*:
Quæ Metamorphosis [illegible] esse potest?
Albis erit, tamque tuo quot sunt in Codice versus,
Dulces Cygnorum tot reor esse sonos.

In Authoris Calamum.

Labe, tuam, qua tam selecta epigrammata scribis,
Deveneror *pennam*: nunquid Oloris erat?

In Libelli frontispicium.

Ubi Cygnus [illegible] Encomium.

Quod præfixa libro [illegible], Labe, nomine cernis:
Est (ais) [illegible] Olor.
At tuus hic liber est [illegible]
Principio, & medio, & fine, canorus Olor.

Aliud.

Dulcè canit *moriturus* olor: tu vincis olorem:
Per Librum hunc, etiam post tua Fata, canes.

Ita gratulabundus accinuit
Georgius Gabelius, S. J.
Typogr: Acad: Præfect.

Ad Authorem præsentium Epigrammatum, alterum Martialem.

Docte [illegible], [illegible] Marte
[illegible] Epigrammatum cohortes,
E prælo, quasi [illegible] ab umbris,
Mandas prælia publicæ diei

Con-

Gaudentis ; dederat [illegible] ;
Jucundaque [illegible] ;
Ordiri. Bene vestiat innocentem
Consilium sacra Pallas, ac Apollo ;
Postque innoxia bella ; laureatam
Seu pacem tibi, seu velint triumphum.
Sed Author mihi tu quis iste belli
Compellabere deinde ? MARTIALIS.

Ita accinuit addictissimus

Joannes Grumelour, S. J. in Univ. Pragensi Eloquentiæ Professor.

Authori, eximio Ecclesiastæ, & Poëtæ.

Qui sacra, pro *Rostris* tam doctè oracula pandit
Cygneo *Rostro* nunc quoque metra canit.
Clarus utrobique est: *Clarius* tamē hunc (modo possent)
E *rostris* raperent *ad sua sistra DEI*.

Authoris cum Cygno comparati sinceritas.

Labe canit, Labusq; * canit ; quia Cygnus uterque ;
Ambo canore pares, ambo colore pares.
Solò hôc differtis : tu candidus [illegible]
Es niger ; ille [illegible]
* Labus [illegible]

Ad Divam Virginem

Pro [illegible] Authoris incolumitate.

Gaudeo, te, Virgo, in terris *sine labe* fuisse :
Ne tamen in Cœlo hic *sine Labe*, precor !

Sic, cum Præside suo, advovet
Typographia Acad: Pragensis.





EPIGRAMMATUM CENTURIA PRIMA.

Author ad Libellum.

HOc Dominus tibi mando tuus, nè læſeris ullũ,
Ut morſu, inſtar apis, non moriare tuo.

Ad Cenſores.

Nulli (diſpliceant ſi vobis iſta) placebunt;
(Si placeant) nulli diſplicitura ſcio.

Ad eosdem.

Arbitrio ſubmitto tuo mea carmina Cenſor,
Paucis laudatis Arbiter æquus eris.

Ad Lectorem.

Si quid ineſſe meis alienum videris (ùt fit)
Carminibus, Dominos dixeris eſſe duos.

Author de ſe, ac libello ſuo.

Prodeat in lucem ſinè Mecænate libellus:
Nam nec eget numis ipſe, nec Author eget.

Idem de ſe.

Præ reliquis poſſem meritò peccâſſe videri;
Nec ſinè *Labe* mihi nomen habere licet.

Ars Poëtica.

Ingenium in pedibus, qui neſcit habere Poëtas,
In capite idem illos neſcit habere pedes.

Ad Martialem.

Scripsisti meliora meis Epigrammata longè,
Constet ut hoc, scribo deteriora tuis.

Epigrammatariis.

Hoc opus, hic labor est, Epigramata scribere; qvidni?
Ipsum Epigrammatibus sæpe *Epigramma* deest.

Ad eosdem.

Laus Epigrammatici non est postrema Poëtæ,
In conciunandis versibus esse brevem.

Authoris Consilium.

Omnibus ut placeam, mihi non persvadeo; verùm
Nulli ut displiceam, svadeo, nemo legat.

In Ovenum, insignem Epigrammatarium, sed, proh dolor! in multis venereum.

Quot quot olent Venerē tua carmina, carmina dicas?
Non tam carmina sunt, quàm mera *crimina* sunt!

Martialis, & Ovenus.

Martis quòd fuerit Minister ille,
Idcirco quoque Martialis audit;
Ovenus Veneris fuit Minister,
Ovenus meritò vocatur ergo.

Ad R. P. Bohuslaum Balbinum è Soc: JESU, cujus Epigrammatum liber sæpius jam typis vulgatus.

Scribo Epigrammaticum post Te, *Balbine*, libellū;
Si Tibi sic placeam, ac Tu mihi, scribo librum.

In

In Insignia Augustiss: Domûs Austriacæ, aequè in Pacem, ac Bella parata.

Candidus, ac Rubeus Tuus est, ô Austria! Campus;
Utrum vult, ex his eligat hostis, habet.

Ad Augustiss: Imper: LEOPOLDUM I^m^. de Bicipiti Imperij Aquila.

Romano Caput Imperio non sufficit unum?
Unum pro multis est LEOPOLDE tuum.

De eodem Augustissimo LEOPOLDO, inter tumultus semper Invicto.

Austerus licèt Austriacos afflaverit Auster;
Mens tamen Austriaci Cæsaris *una* manet.

Adversùs nundinas in Festis.

Dictum à carpendo Polycarpum carpere nolo:
Nolo Carpophorum carpere, carpo forum.

Festo S. Martini Turon: Episc. anser mactari solitus.

Ad conscribendum *Martini* encomia laudum,
Vult calamos anser suppeditare suos.

Aliud.

Martini exemplô, vulsis è Corpore plumis,
Anser mendicum vult amicire suis.

Ad Typographum ex typo locupletem.

Emungunt alij Dominis Marsupia scribæ,
Unicus impingvat, quod scio, scriba tuus.

In Illiberalem.

Multa peto? tu multa negas; peto pauca? nec illa
Das; nihil ergo peto, tu nihil ergo nega.

In Calvum.

Eſt aliquid, cur me videare beatior eſſe,
Uno namque minus pectine memet eges.

Torvo cuidam Amico.

Si quàm ſis torvus poſſes tu te ipſe videre,
Ambigeres, an ſit vultus amice tuus.
Aut muta vultum, ſi vis ab amante videri,
Aut ab amante, vide, ne videare, rogo.

In Pumilionem.

Curtus es, & quovis tibi longior eſſe videris:
Vmbram manè tuam, aut veſpere menſus eras.

De Avaro.

Juxta Anagrammaticos pecuina pecunia cùm ſit,
Eſſe poteſt dubium, num ſit avarus homo.

Invidi & Oſores multi.

Si tantùm figulus figulum, quod dicitur, odit,
Quæ numeroſior eſt, quàm figulina tribus?

Cuidam imperito Medico.

Cùm ſis æger (ait Medicus) non uteris ullo
Cur Medico? volo adhuc vivere, nolo mori.

Puer, Ebrius, ac ſtultus veriloqui.

Hi tres nulla ſciunt mendacia dicere; menti
Nam nequeunt contradicere: mente carent.

Sym-

Symphoriano, mirè deformi, at supra modum ingenioso.

Optares animum cerni, Corpúsq; latere,
Ut fieret pretium Symphoriane tui.

De Beato Stanislao Kostka Soc: JESV.

Panniculis gelidâ tinctis ad pectus egebat
Kostka, adeò fibras, sensilis ussit amor.
An non tunc unà fontémq; ignémq, ferebat?
Nec tamen huic igni fons inimicus erat.

Ad Societatem JESU, omnia sua munia sinè stipendio exercentem.

Omnia das gratis! imò carò omnia vendis;
Omnia nam *Cœlô* solvit, emítq; DEUS.

Dies Jovis, ac Veneris.

Anteit hìc Venerem sinè fulmine Jupiter; olim
Non sinè fulminibus mille sequetur eam.

Ovum Pachale, & Agnus.

Mitto tibi Paschale *Ovum*, pro more, & amore.
Paschalem mittes, tu mihi rursus *Ovem*.

Sanitas, & insania in poculis: ad Helluonem.

Ut sanus vivam, mihi multùm, ac sæpe propinas;
Ut sanus vivas tu, repropino nihil.

In Flaccum, oppidò garrulum, ac dentatum.

Egregiè garris, & habes tot in ore molares,
Posse tuum os dici, quid puto, *Flacce*? molam.

In mulierem annosam stibio utentem.

Quatumvìs anus es, non vis tamen ulla videri,
Quid superest, ut anus non videare? *mori.*

Gibboso Parenti.

Grossior est digitus, dorso Patris, ausus es olim
Dicere de digito, Rex Roboame, tuo.
Dixerit hoc Roboam; de te quid filius inquit?
Sum minor ecce Patris tergore, totus ego.

Infantis Ænigma, Oedipo propositum.

Cotta meus Pater est; sed ego non filius ejus,
Quâ ratione rogas Oedipe? filia sum.

Podagra.

Arbitrio Vatum nodosa Podagra vocatur:
Si Podagra est nodus, Gordius esse potest.

Pauper Philosophus illiterato Diviti.

Pauper ego, tu dives opum; tu pauper, egóque
Ingenio dives; ditior at quis? ego.

Guloni Pontico.

Quinquaginta tulit Briareus *Pontice* ventres,
Unum tu, sed habes omnibus hisce parem.

Ætas

Ætas brevis.

Ajunt tercentum poſſe annis vivere Corvos,
Quis, Corvô exceptô, poſſe, probare poteſt!

S. Catharina: Doctor, Virgo, Martyr.

A, *Catharina!* tuo tria ſunt in Nomine; quorſum?
Aureolas totidem ſignificare puto.

Eadem lac pro ſangvine fudit.

In Cœlo fecit Juno, via lactea ut eſſet,
Ut ſit & in terris nunc *Catharina* facit.

Hebdomas prophana.

Prima dies Solis, Lunæ altera, tertia Martis,
Quarta eſt Mercurij feria, quinta Jovis.
Sexta dies Veneris, Saturni ſeptima: an ergo
Contingit Vero feria nulla DEO?

Ad Illuſtriſſ: ac Excell: Dominum D. Bern: Ign: Borzitam S. R. I. Comitem de Martinitz &c. &c. de Ejusdem Inſignibus.

Nymphææ *Bernarde* Tuæ placuiſſe videntur
Cœlo, cùm ſtellam junxerit hiſce ſuam.

S. Catharina, Virgo sapiens, è cujus sepulcro oleum scaturit.

Virginibus fatuis oleum defecit, & ignis,
Hanc oleum nunquam deficit, ergo sapit.

Cuidam senecioni.

Tu canus cùm sis juvenem me suspicis? intus
Canitiem Capiti reris inesse meo.

Uxor decrepito, ac Morbido Marito.

Plus ultrà quid agam Conjux Charissime? finem
Ut faciat morbis omnibus, oro DEUM.

Cupido Cæcus.

Nè placeas oculis, oculis qui captus es ipse,
Præstat sic omnes Cæce Cupido capi.

Ad Virginem Angelinam, Votô Castitatis ultroneô in perpetuum illigatam.

Nubere si Virgo gestis feliciter; ergo
(Angelus est Tibi par, Angela) nube pari.

Oenopolæ.

Sunt bona mixta malis; vulgò proverbia dicunt,
Esse (bonis misces cùm mala vina) probas.

De Potatoribus, inter Pocula, Divina miscentibus.

Multi inter Calices tantùm Divina loqvuntur,
Quis *Madido* plenos tunc neget esse *Deo*?

Cui-

Cuidam indigno Gradu Doctorali.

Supponit nihilum si vera *creatio*; dico
Ergo recens Doctor jure *creatus* erat.

Majus Rex Mensium.

Quidni inter Menses *Majus* Rex esse meretur?
Nil, quàm sit *Majus*, Tempora *majus* habent.

In Calvum Polydorum.

In vitio est ementitos adsciscere crines;
Solus naturæ jus *Polydorus* habet.

Epitaphium Helluonis.

Vixit hic, ut biberet, sitiebat, & usque bibebat;
Ut dubitetur adhuc, desieritne sitis?

In Cottam, Nobilem deformem.

Ex *genere*, & *forma* cùm definitio constet,
Tu definiri, res nova! *Cotta*, nequis.

Cupreo.

Si tantum *Cupri* tibi solo excrevit in ore,
Estne ergo venter *Cuprifodina* tuus?

In Vanulum.

Siccine Cæsariem respergis pulvere, & ambrâ?
Omnes nos homines *pulvis*, & *umbra* sumus!

Nano.

Omnis homo quidam *Microcosmus* dicitur esse,
At meliùs titulus convenit iste tibi.

Inepto Authori, operi immortuo.

Author es imperfecti operis; tibi gratulor; inde
Plus modò laudis habes, dedecorísque minus.

Vinô sæpius incalescenti.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo!
Cedo, quòd stomachi vox fuit illa tui.

Sol, & Luna. Vir, & Mulier.

Luna præest nocti, (fugiunt se) sólque diei,
Ut vir declinet fæminam, & illa virum.

Æger, firmo se visitanti.

Quæ mihi nunc ægro solatia *Firme*, dedisti,
Pòst paullò optarem reddere, *Firme*, tibi.

In Mecænatem, merè Aulicum, seu Verbalem.

Multa spopondisti, nihil autem hucusque dedisti,
Dives pollicitis non nisi fio tuis.
Aulice! muneribus grates promitto vicissim,
At pro pollicitis, cùm mihi dentur, ago.

Inveterato Tabacario.

Nunquam sat potis es nares complere tabacô,
Anne tuus fundô nasus utrinque caret?

Oculi impudici.

Si semel est oculis defuncta Modestia mater,
Pupillas, oculos quis neget esse duas?

For-

Forma naturæ fluxæ.

Forma bonū *fragile* est; Oculi, pars plurima formæ,
Sunt testes: quid enim sunt, nisi *vitra* duo?

Aurum potabile.

Auri sacra *fames!* verùm *potabile* cùm sit,
Auri præstaret dicere, sacra *sitis!*

Duplex Æternitatis Via.

Arcta via in Cœlum; Lata est, quæ ducit ad Orcū:
Illa nimis longa est, est nimis ista brevis.

De S. Andrea.

Andreana mihi, Cruce, Crux caruisse videtur,
Cuî toties fixit basia, dixit Ave.

Andreæ, Amico suo.

Si, velut Andreæ Crux quondam, in amorib' essem,
Vellem Crux fieri, non tamen esse tibi.

Mulier imperans, jugum intolerabile.

Nemo potest operam Dominis navare duobus,
Uni sed Dominæ sat bene nemo potest.

Euclioni librorum.

Dummodo cras iterum mihi librum manè redones,
Illum hodie serò vespere, dono tibi.

Marco litiganti.

Tu per Caussidicos alienæ, *Marce*, Crumenæ
Dixisti litem, Caussidicíq; tuæ.

Síntne tuam promoturi bene, neſcio, cauſam,
Sed promoturos, hoc ſcio, *Marce*, ſuam.

Monoculo.

Uno plus oculo cernis, quàm quisque duobus
In te oculis; unum is, tu duo Zizka vides.

Cuidam Barrocato ſapienti.

In te laudo *Caput*, non autem laudo *Capillos*,
Crines eſſe bonos non ſcio, at eſſe *Caput*.

In Barrocatum, parum ſapientem.

In te damno *caput*, non damno verò *capillos*,
Fortè mali ſunt hi, ſed ſinè *fortè* Caput.

Friderico benefactori ſuo, gallum gallinaceum alis, & caudâ Phaſiani inſtructum ſibi in epulum mittenti.

Quem mihi miſiſti gallum, *Friderice*, comedi:
Phaſiacum rurſus do *Friderice* Tibi.

De Venera: P. Joanne Mehrer è Soc: JESU à Sanctitate Vitæ celebri, poſt mortem mirabiliter immutato.

Tam ſibi diſſimilem ſpectavi à morte *Ioannem*;
Ut migrâſſe etiam Corpus in Aſtra putem.

Epitaphium Salomonis.

Hìc jaceo *Salomon*. Sapui, ſapijque, *nec ultrà*:
Quis quis enim ſapit *hìc*, non ſapit; antè *ſape*.

Cui-

Cuidam Hyperbolico Laudatori suo.

Par sum Lusciniæ, è sacris dum dissero rostris;
Quo pacto? *vox* sum, prætereáque nihil.

Rosa.

A, notat *alborem*; R, signat verò *ruborem*;
O, *odor* esse potest; S, *sapor* esse potest.

In Strabonem.

Ergóne nos omnes *Strabo* peccavimus in te?
Nos *oculo* quòd non intueare *bono*?

Furi eleganter comato.

Scísne tuis quid adhuc desit, fur crispe, capillis?
Absolnæa tibi quercus, & aura deest.

Dilectæ Matri suæ Societatis JESU, *tot millium librorum Authori.*

Millia conscribis librorum, & millia vulgas,
Viva appellari *Bibliotheca* potes.

In surdastrum malæ vitæ.

Surde tuam nolo, te coram, carpere vitam,
Carpo absens: *audis*! quomodo? surde, *male*.

Testis iniquus.

Est tibi perjurus *Testis*, Respublica, pestis;
Idcirco appendix optima, *restis* erit.

Au-

Aulicus, & Aula.

Aulæis amat Aula tegi, nè quid sit apertum;
Aulicus at *larvam*, ne sit *apertus*, amat.

In Aulum mercatorem, malum Anagrammatarium.

Est sibi dissimilis *Luna*, ulna simillima semper,
Luna sed ex *ulna* sæpe fit Aule tua.

Solius hominis inter animantia Cor in lævam declinat, ait Aristoteles.

Cor hominis solum, in *lævam* declinat; an ergo
Fidendum magìs est bruto, hominíque minùs?

In Calvum.

Dic ubi *calve* geris, possim ut discernere, *frontem*?
Hìc ais; hoc ipsum, dic mihi rursus, *ubi*?

De S. Clemente P. M.

Quando Tuo *Clemens* appensa est Anchora collo,
Nauclerus Tua mens, & *Scapha* Corpus erat.

In Mendicos nostri temporis.

Est *mendicorum* toto ingens copia mundo,
Est sed *egenorum* parvula turba modò.

In Theologum malæ vitæ.

Scire, ais, & *facere*, hæc duo sunt diversa; negabo?
At respondebit mox tua Vita; *Probo.*

Lecto-

Lectori.

Scíſne Oratores fieri, naſcíque Poëtas?
Naſci, non *fieri* ſic *Epigramma* ſcias.

Eidem.

Si de centum iſtis, epigramma expunxeris unum,
Tota *hecatombe*, uno ſic pereunte, perit.



EPIGRAMMATUM CENTURIA SECUNDA.

Ad Libellum.

PErge bonis avibus, velíſque libelle ſecundis,
Tum demum titulo, réque ſecundus eris.

Ad Lectorem.

Ordine noſtra legi cuperemus Carmina Lector,
Ne bona prætereas, prætereundo mala.

Amicis.

Non mihi, ſed vobis debeant Epigrammata, lucem
Quod videant, quòd ſint qualiacunque, mihi.

Cenſorio Catoni.

Si tibi diſſipiant, cùm legeris iſta; facetos,
Si potes, *inſulſis* verſibus adde *ſales*.

Eccle-

Ecclesia Romana.

Roma Caput mundi: quid mundus, & omnia mundi?
Esse decet, *Capiti* subdita membra suo.

Papa, & Ecclesia.

Papa Pater dictus, dicta est Ecclesia Mater,
Hæc digna est Matris nomine, & ille Patris.

Humani Generis Redemptio.

Unum duntaxat verbum (*Verbum Caro factum*)
Nostra salus hominum constitit una DEUM.

Ad Christum sæpius colaphis cæsum.

In malo peccavit Adam; peccavimus omnes!
Nunc tua, ob hoc malum, tot *mala*, mala luit.

In Insignia Catholici Hispaniarum Regis.

Erexit sibi magna duas Hispania Turres,
Inconcussa *Fides* est utriusque *basis.*

Ad Insulam Cretam, sub Turcarum Potestatem redactam.

Creta vocabaris, jam desine Creta vocari,
Carbonis posthac nomine digna magis.

S. D. N. Papa Clemens IX. ob Candiam à Turcis ereptam 1669. credibiliter præ dolore mortuus.

Candia Clementi Papæ fuit anchora Nono,
Quem jactu (eheu!) traxit in ima suo.

Ad Sereniss: Electorem Saxoniæ, de Insignibus ejusdem.

In Clypeo geminum fers *Saxo* antiquitus *ensem*,
Imperij Summum quo tueare *Caput*.

Ad Illmū, & Rmū D. Maxim: L. B. de Schleinitz Basilicæ S. Stephani Litomericij Fundatorem.

Ædificata Tuis stat aprico Ecclesia colle
Sumptibus, Ædili, ac Martyre digna suo.
Non satis est; sed viva etiam stant undiq; Templa,
Virtutum exemplis, ædificata Tuis.

De Gentilitijs Slavatarum fluvijs.

Ternos stemma gerit Slavatarum antiquitus amnes,
Uno duntaxat plùs Paradisus habet.

De ijsdem.

Hæc Tria Virtutis Slavatinæ Flumina testes;
Nunquam, quantumvis undique plena, tument.

De

De S. Leopoldo, Archiduce Austriæ, cognomento Pio.

Hoc *Leopoldinæ* Pietati ô Austria! debes,
Quod semper *Dominos* experiare *Pios*.

In Gnolphum.

Formosos pueros stupidescere, quando senescunt,
Gnolphe ais; ergo etiam Tu speciosus eras?

In eos, qui in Concavo Lunæ Silvas perperam asserunt.

In Luna quid opus, quas nescio, fingere silvas?
Lignis, qui situs est cominus ignis, eget?

Atheismus Grammaticalis.

Quis negat esse Deum? nónne Athe⁹? Athe⁹ inquis;
Haud tamen Atheus est, qui negat esse DEUM.

Doctori Podagrico.

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,
Quomodo non tecum sæpe jacente, jacet?

Xaverianum: satìs est Domine, satìs est!

Ah satìs! ah satìs est! geminat Xaverius; infer
Dum quis habet JESUM, tunc bis habere satis.

Ejusdem: ampliùs Domine, Ampliùs!

Ampliùs inclamat Xaverius ampliùs! illi
Ampla Crucum messis, non satìs ampla fuit.

Ad

Ad RR. PP. Cistercienses Cœnobij Ossec: in Boh: in quo S. Joan: Bapt: digitus religiosè asservatur.

Nosse licet fortem, vel solo ex ungve leonem;
Agnos ex digito hoc vos quoque nôsse licet.

Aliud.

Pulchrum est monstrari digitis, & dicier *hic est*;
Et vos ostendi hoc *Indice* grande decus!

De Aëre, & Aere.

Aëre mobilius nihil est, leviúsq; vicissim
Aere nihil gravius, nobiliúsque nihil.

Dives, & Pauper.

Pauperis est, numerare pecus; non pauperis autem
Est numerare pecu, qui legis adde, niam.

Pauper in Divitem.

Pauperior sum te, quando vigilamus uterque,
Quando dormimus, pauper uterque sumus.

Ad Libellum Th: de Kempis, multis viris doctis usu familiarem.

Quisque in te, quod discat habet, quem sæpe, diúq;
Tanti Doctores nocte, diéque terunt.

Virtus.

In medio Virtus, vitijs stipata duobus:
Inter latrones incidit ergo duos.

De

De S. Ambrosio Eccl: Doctore.

Ambrosiam Veteres, potum dixêre Deorum,
Ambrosius Divûm potus, & esca fuit.

In Molitorem.

Non tam furfuribus, vox furfur convenit ipsis,
Quàm tibi, qui fur, fur furfuris esse soles.

Lælio Homini bruto.

Romano jactare potes te sangvine natum:
Nam Romæ Bruti stemma fuisse, lego.

Fidicini præclaro, sed parùm veraci.

Ajo tibi Citharœde fides non esse negandas
Incertum tamen est, an tibi danda fides?

Macro furi.

Nunc macer es, sed eris, postquàm pendebis, obesus,
Quando tuum volucres undique corpus edent.

Imperito Pictori, & imperfecto.

De te nemo potest, nisi falsò dicere: *pinxit*;
Verùm: *Pingebat*, dicere quisque potest.

De S. Nicolao, in cujus memoriam, in festo illius munera conferri solent.

Non satis est Divo, tres dotavisse puellas,
Nunc etiam largas porrigit ille manus.

Mu-

Mulier Apocalyptica, Virgo Immaculata.

Cœlestem Dominam, Cœli ornamenta venustant,
Sol corpus, frontem Sidera, Luna pedes.
Ergò quam Dominam Cœli, Cœlum undiq; vallat,
Quâ terræ, aut Erebo porta patere potest?

Ad B. V. sinè labe conceptam, Author de se.

Quæ semper sinè labe fuit, nive purior omni,
Optarem! in Cœlo nè sinè *Labe* foret!

Ad S. Petrum.

Deflebas quando tua *tu* perjuria Petre,
Ingens in cœlo tunc, puto, risus erat.

Ad eundem.

Gutta cavat petram, non vi, sed sæpe cadendo;
Gutta cavat pariter sæpe cadendo Petrum.

Quinque sensus.

Quinq; hominis sensus sunt ostia quinq; malorum,
Janitor illarum sunt duo: *nolo, volo.*

Visus.

Cêu inter sensus, nullus pernicior isto,
Sic etiam nullus *perniciosior* est.

Au-



Auditus.

Verba, ſonúsq; aures mulcent, eadémque fatigant,
Verba ergo fiunt verbera, onúsque ſonus.

Guſtus.

Guſtus in ore ſedet, comedóque bibóque vocandus,
Quò ſapit illi plùs, hoc ſapit ipſe minùs.

Tactus.

Sentiat ut Tactus, caro ſit, ſeu corpus, oportet;
Quis minùs hoc ſenſu ſpirituale ſapit?

Olfactus.

Totus odoratus, ſitus eſt in naribus; ô ſi!
Quàm mihi ſordet humus, dicat, olétq; polus!

Caput.

In populo Caput eſt Princeps; in Milite, Dux eſt,
At caput in membris convenit, eſſe *Caput*.

Stomachus.

Omnia conſumit, tandem & conſumitur ipſe;
Omnibus eſt tumulus rebus, & ipſe ſibi.

Cor inter manus medium.

Inter utramq; manum mediat cor, ut hiſce duabus
Ceû volitans alis, poſſit in aſtra rapi.

Oculi.

O! Oculi ſcopuli! tantò plùs verò timendi,
Quantò plùs mergi debueratis aquis!

Au-

Aures.

Credita ut in vobis, aures, arcana putrescant,
Materies intus computrefacta monet.

Nares.

E cerebro in nares humorum copia stillat,
Quàm multum debet naribus ergo caput!

Lingva.

Membris præ reliquis delinquere lingva videtur,
Cùm sua perpetuo carcere, facta luat.

Os.

Quid juvat os oris, si non habet intus os ossis,
Si mandare potest, mandere verò nequit?

Genæ, seu Malæ.

Nónne genæ dignè plectuntur in igne gehennæ,
Cùm malæ fiunt, ob malefacta, malæ?

Frons.

Frons non effrontis, frons frontis digna vocari;
Sed frons effrontis, frons sinè fronte magis.

Manus & Pedes.

Sunt deni in manibus digiti, pedibus quoque deni,
Præcepta, ut servent pésque, manúsque, decem.

In Voluptuarios, ajentes: Nullum sit pratum &c. Sap. *3.*

Quàmvis conveniat pratis ridere; *scelesti!*
Iisdem conveniet, jam puto, flere magis.

Ad

Ad Celeberri: Universitatem Pragen: de tuenda Immaculata Conceptione, quot annis sese juramento obstringere solitam.

Magna fuit juramento reverentia semper,
  At nunc debetur, sub Jove, summa tuo.
Nam cùm Conceptam jures sinè labe MARIAM,
  Jus quoque jurandum sit sinè labe tuum.

In Lentulum.

Lentule lentulus es; desisti lentulus esse,
  Cùm vinô, aut somnô Lentule lentus eris.

Senecioni stupido, nomine, Salomoni.

Quid Salomon Salomonis habes? nisi fallor, id unũ;
  Quando puer fueras, ingeniosus eras.

Ad S. Luciam, pro oculis Patronam.

Nolo meos cures oculos ô Diva! sed opto,
  Ut fiant similes, Lucia Virgo, tuis.

In Nanum.

Ægrè fers, Nanum te passim, *Nane*, vocari,
  Te licèt Enceladum dixero, *Nanus* eris.

Heraclitus, & Democritus: Oveniano contrarium.

Flevit Heraclitus, Democritus omnia risit;
  Ridendus, simul & flendus uterque fuit.

Ad

Ad Amicum.

De Morbo nescire meo te, scribis, Amice;
De Morbo cuperem scire nec ipse meo.

In Hæreticos.

Qvidni purgantes flammas omnino negetis,
Quas DEUS hæreticis omnibus ipse negat?
Solùm supplicijs decretum creditis Orcum,
Quem DEUS hæreticis omnibus ipse probat.

Zoilo.

Plurima cùm carpas, *Polycarpus* es ergo vocandus,
Ut tu convenias *Nomini*, idémq; tibi.

Momus.

Ludicra dum tractat, mihi serius esse videtur;
At quando tractat seria, ludicer est.

Ad S. Thomam Ap. lanceâ confossum.

Vulnera vidisti, tetigisti Vulnera; felix!
Longè felicem *lancea* tacta facit.

De eodem.

Huc infer digitum! Thomæ olim dixit JESUS,
Nunc Thomas Christô dicere posset idem.

Par Sartorum.

Jam Vetus est: *figulus figulum* (ceû dicitur) *odit*
Odit sartorem sartor, an ergo novum?

Testamentum Commune omnibus.

Nescio, cujus erunt, quæ nostra hucusque fuerunt;
Ex testamento, *Posteritatis* erunt.

Quis legitimus hæres?

Nemóne legitimus rerum Possessor, & hæres?
Cùm mors, hæredem scribere, cogat avum?

Amico variabili.

Vertumnum, quidam Vatum, appellavit *amorem.*
Obsecro, *vertumnus* ne sit, *amice*, tuus!

In milites, ex pugna fugitivos.

Turpiter, ô probrum! vertistis terga; putâstis,
Cùm fuerit Martis, Mercurij esse diem?

Nasoni.

Immemor ipse tui nè possis esse, monebit
Naso oculos, quid sis, *Nasus* ubique tuos.

Vera Nobilitas, quæ?

Fuso Nobilitas in sangvine constitit olim,
Constat in infuso sangvine sæpe modò.
Olim soliciti Patres gesta addere gestis,
Nunc *titulos* titulis *accumulare*, nepos.

DEI, ac Dæmonis diversa sementis.

Sementem jacit Ille bonam, jacit alter inanem,
Suscipit eventu dispare, cordis ager.

S. Jo-

S. Joan: Bapt: Parentibus senibus natus.

Magnus erat, coram Domino, *Baptista* futurus;
Tantum igitur meritò parturiêre diu.

Christo nato Choraulæ Angeli.

Ut quid Epos melicum, toto sonat Orbe canorum?
In terras saltum fecit ab axe DEUS.

Ad Jesulum.

Ut mihi cor raperes furunculus esse volebas,
Ut quid enim, ceû fur, JESULE, nocte venis?

Natus nudus.

Nè quæ in vindictam sub veste latere putemus,
Fulmina, nasci omni vult sinè veste DEUS.

De stella Magorum.

Occasus Regum portendunt sæpe Cometæ,
Ortum hic portendit, Christe Cometa, Tuum.

Alteri Crœso.

Non postrema inter numero miracula Crœse,
Si nummis plena est corbona, *córque bonum*.

Superbo.

Lucidus è fumi caligine noscitur ignis,
At *mens* è *fumo* noscitur *atra* suo.

Epitaphium deprecantis omne epitaphium.

Ipſe ſepulchralem ſibi verſum condidit, ajens:
Nemo velit tumulo ſcribere lemma meo.

Criſtato.

Quando tuo tremulæ volitant in vertice criſtæ;
Quid mirum, *alatum* quòd petat *alta*, *caput*?

Arunco.

Florenis ter quinque, *aſini* caput eſſe ſolutum
Legimus: an tanti conſtat, Arunce, tuum?

De fructu vetito: malúmne fuerit, an ficus?

Diſceptent alij, fuerit malúmne, ficúſne?
Seriùs, experti, diſcimus eſſe *malum*.

Melchiori, Muſico præclaro. Melchior anagram. *Mel chori.*

Præclarè nôſti pietatem accendere cantu
Melchior, ut dici *Mel* mereare *Chori*.

Multiloquo. Verbum Caro factum.

Quid Verba agglomeras verbis? vis omnia ſcire?
VERBVM unum, ſi vis omnia ſcire, *ſat* eſt.

Tres

Tres Personæ, Divinæ, & quatuor Elementa.

In Cœlo Tres ſunt; in Terra Quatuor; iſtis
Ex quatuor fiunt omnia, iiſque Tribus.

Pater Æternus.

Quis Patrum ſinè Patre fuit? Patrem eſſe negabo,
(Patre DEO exceptô) qui ſinè Patre fuit.

DEI Filius.

Par Genitor Genito; Genitus quoque par Genitori;
Poſterior non eſt ille, nec iſte prior.

Spiritus ſanctus.

Si Patri, aut Genito, DEUS impar Spiritus eſſet;
Ambo *exſpirarent*, Filius, atque Pater.

Ignis.

Magna fames Igni! nec enim eſt ſatiabilis uſquam,
Et licèt arderent omnia, nulla ſitis!

Aër.

Vix eſt ſenſibilis, nedum palpabilis, Aër,
Quiddam ergo ſpirat ſpirituale bonum.

Aqua.

Eſt aqua (ceû dicas *à qua* ſunt omnia) dicta;
Quod poſt *Baptiſmum*, verius eſſe puta.

Terra.

Arida principiô; nunc, humida terra videtur;
Omnia cùm fieri putridâ conſtet humo.

Complementum Centuriæ Secundæ.

Principium rerum cùm sint elementa; secundi
Hæc eadem finis sint elementa libri.



EPIGRAMMATUM CENTURIA TERTIA.

Tardo Censori.

Quomodo nostra valent Epigrāmata? suspicor, *ægrè*;
Cùm Domino redeant *seriùs* illa suo.

Ad Lectorem.

Non minīs, aut pluris mea, Lector, ut æstimet, opto
Carmina, quàm quanti Bibliopola dabit.

Ad eundem. Versus, *anagramma*,
Servus.

Quando fit inverso, *Versus*, de nomine, *Servus*,
Officio *Domini* fungitur ille sui.

De se, ac suo Libello.

Si fuerint aliquâ versus hi *labe* notati,
Quid mirum? proles à *Patre*, nomen habent.

Lectori.

Qui mea sæpe leges, *lectissima* Carmina reddes,
Sicut *lecta* facit, qui semel illa legit.

In-

Insignia Romani Pontificis.

Ternas Papalis gerit una Tiara Coronas?
Unum est, ac summum sub Jove, Papa Caput.

Ad Aug: Cæsarem LEOPOLDUM I. *de Mahometanis, ac Tartaris ad S. Gothardum Triumphatorem, Anno* 1663.

Jam vetus, ac vulgô tritum est anagramma, repertũ
In Leopoldino Nomine: *pello duos.*
Fecisti *Leopolde* novum; Victórque *duorum*
Jure novo, de Te dicito: *Pello duos.*

Insignia Regis Christianissimi.

Gallia præfefert *tria* in uno *Lilia* Campo,
O! *Flores*! Christi quàm bonus estis *odor*!

De esca, & potu Christi.

Parvulus *Emmanuel* comedet cum *melle* butyrum,
Vinum myrrhatum postea, *félq;* bibet.

De S. Proto-Martyre Stephano.

Dum *Stephanus* Cœlos è terris spectat apertos,
Quidni Judæi *tartara* aperta vident?

Ad Eundem S.

Si fuerint (ùt erunt) jacta in Te saxa, *Pyropi,*
Par erit in *pretio* nulla *Corona* Tuæ.

De S. Joanne Evangelista, quem diligebat JESUS.

Divinum supra *pectus* jacuisse *Ioannem*,
Quam mirum ! cur hoc ? esse *cor* intus amat.

De SS. Innocentibus MM.

Vix nati, fundunt Pueri cum sangvine vitam,
Nempe illis *mors est vivere, vita mori.*

De S. Silvestro.

Nil Tibi Sivester silvestre, nihilque ferinum,
Solum Silvestri nomen *inane* Tibi.

Author anserinæ pennæ suæ, quâ Philosophiam, ac Theologiam totam, eâdem numero, septenniô, scripsit.

Septem olim *Iacob*, pro te *Lia*, servijt annos,
Septem alios pro te, captus amore, *Rachel.*
Septenni obsequio mea *penna* lucratur utramque:
Philosophia, Lia est, *Theologia* Rachel.

De eodem Calamo, qui unicâ intinctione contentus, horariæ scriptioni, sufficienter atramentum, citra ullam fraudem, subministrabat.

Quantumvis *bibulus* dicatur, & audiat *anser*,
Anseris hæc bibuli *sobria penna* fuit.

Ad

Ad Lunam Othomanicam.

Luna incrementum, decrementúmq; videmus:
Decrementum opto, *Turcica Luna*, tuum!

Hugolino.

Atrum cùm tibi ſit, tinctum fulgine, *mentum*,
Eſtne *atramentum*, mentum, Hugoline, tuum?

Cur circumciſus Ieſulus?

Plurima contraxit, noſtri ergo, *debita* Chriſtus,
Quæ cùm non poſſet *ſolvere*, pelle luit.

De Eodem.

Quàm Jesus noſtri citò *febricitârit amore*,
Conjecturam ex hoc *ſangvine*, quisque cape.

Ad Eundem.

Quis *conſangvineum* Te noſtrum *Chriſte* negârit,
Quum conſangineum *ſangvis* hic, eſſe probet?

Strena.

Aurum non habeo; *nihil* eſt pretioſius *auro*,
Hoc habeo, in ſtrenam do *nihil* ergo tibi.
Nec *nihil* eſſe puta; vel ſi *nihil* eſſe putâris,
Omnia *de nihilo* facta fuiſſe ſcias.

Ad S. Norbertum, Euchariſtiam manu præferentem.

Albentem ſub farre Deum tua monſtrat imago
Candor *candori* convenit iſte tuo.

Ad Ejusdem Sancti Religiosos.

Præmonstratensis bene vester dicitur Ordo,
A præmonstrato farris in orbe, Deo.

Imperfectus Viro perfecto.

Nemo meas, & nemo tuas potis edere laudes;
Est tibi nam virtus plurima, nulla mihi.

Gibboso à Nativitate.

Natus es in *gibbis*: non posses dicere de te:
Ante omnes colles *parturiebar* ego.

Imperito Kalendaristæ.

Plurima menda tui, (taceo mendacia) libri,
Cùm de temporibus *vaticinantur*, habent.

Genethliacon cuidam eximio Eloquentiæ Professori, M. G.

Rhetoricen *denis* docuisti *Melchior* annis,
Et quòvis hominum *flectere* quemque potes,
Nulla tamen tua me sic *argumenta* movebunt,
In *pretio* ut cesses esse, & amore mihi.

In Christianum, Mundo, & Carni deditum.

Nemo potest aptè *Dominis* servire *duobus*,
Et servire, putas, te bene posse tribus?

Ma-

Masculo Nasoni.

Parva, sed ingentem sortita culina caminum,
Apposité dici posset *imago* tui.

De Luthero, ejusdémq; Catharina de Born, Lutheranæ Sectæ Authoribus.

Lutherana fides Matre, & Patre gaudet; an ulla
Convenientiùs est hac fide *nata* fides?

De Cometa tempore Nativitatis Christi.

Si quando mulier, veluti cimelia, Drachmam
Perdidit, accenso lumine quærit eam.
Perdidit ingentis pretij Cimelion æther,
Idcirco *accensam* hanc credimus esse *facem*.

Ad Illmos tres Fratres S. R. I. Comites de Sternberg, de Gentilitia eorum stella, à tribus Magis, ad eos traducta.


Cùm vestrum sit stemma *trium* de stemate *Regum*,
Ducet ad ipsum ergo *Vos* quoque *Stella* Deum.

De antiquitate Stemmatis eorundem.

Stelligeros quisquis *Proavos* numerare valebit,
Pœne etiam *Stellas* is numerare potest.

Ad eosdem Illmos.

Regibus una *tribus* quæ luxit Stella, relucet
Hæc eadem vobis *Fratribus* una *tribus*.



...esertim seculo, ab
...endatissima.

...a magnis,
...a magis.
...mmata vivunt.
...a diu!

...rtæ nationis.

...Batte, *Polonum.*
... *ὄνος*, ego.

...tore Ventrem,
...*ro* geris.

... vox eſt:
...*typum*!

...tangit,
...culisque *foves.*

...orum.

...Matre ſit *aurum*;
...*rbâ* manet.

...ota liberalis.

...urúmq; dederũt;
...na dedi.

Pau-

Epitaphium deprecantis omne epitaphium.

Ipſe ſepulchralem ſibi verſum condidit, ajens:
Nemo velit tumulo ſcribere lemma meo.

Criſtato.

Quando tuo tremulæ volitant in vertice criſtæ;
Quid mirum, *alatum* quòd petat *alta*, *caput*?

Arunco.

Florenis ter quinque, *aſini* caput eſſe ſolutum
Legimus: an tanti conſtat, Arunce, tuum?

De fructu vetito: malúmne fuerit, an ficus!

Diſceptent alij, fuerit malúmne, ficúſne?
Seriùs, experti, diſcimus eſſe *malum*.

Melchiori, Muſico præclaro. Melchior anagram. *Mel chori.*

Præclarè nôſti pietatem accendere cantu
Melchior, ut dici *Mel* mereare *Chori*.

Multiloquo. Verbum Caro factum.

Quid Verba agglomeras verbis? vis omnia ſcire?
VERBVM unum, ſi vis omnia ſcire, *ſat* eſt.

Tres

Tres Personæ, Divinæ, & quatuor Elementa.

In Cœlo Tres ſunt; in Terra Quatuor; iſtis
Ex quatuor fiunt omnia, iisque Tribus.

Pater Æternus.

Quis Patrum ſinè Patre fuit? Patrem eſſe negabo,
(Patre DEO exceptô) qui ſinè Patre fuit.

DEI Filius.

Par Genitor Genito; Genitus quoque par Genitori;
Poſterior non eſt ille, nec iſte prior.

Spiritus ſanctus.

Si Patri, aut Genito, DEUS impar Spiritus eſſet;
Ambo *exſpirarent*, Filius, atque Pater.

Ignis.

Magna fames Igni! nec enim eſt ſatiabilis uſquam,
Et licèt arderent omnia, nulla ſitis!

Aër.

Vix eſt ſenſibilis, nedum palpabilis, Aër,
Quiddam ergo ſpirat ſpirituale bonum.

Aqua.


Eſt aqua (ceû dicas *à qua* ſunt omnia) dicta;
Quod poſt *Baptiſmum*, verius eſſe puta.

Terra.

Arida principiô; nunc, humida terra videtur;
Omnia cùm fieri putridâ conſtet humo.

Complementum Centuriæ Secundæ.

Principium rerum cùm sint elementa; secundi
Hæc eadem finis sint elementa libri.



EPIGRAMMATUM CENTURIA TERTIA.

Tardo Censori.

Quomodo nostra valent Epigrāmata? suspicor, *ægrè*;
Cùm Domino redeant *seriùs* illa suo.

Ad Lectorem.

Non minùs, aut pluris mea, Lector, ut æstimet, opto
Carmina, quàm quanti Bibliopola dabit.

Ad eundem. Versus, *anagramma*, Servus.

Quando fit inverso, *Versus*, de nomine, *Servus*,
Officio *Domini* fungitur ille sui.

De se, ac suo Libello.

Si fuerint aliquâ versus hi *labe* notati,
Quid mirum? proles à *Patre*, nomen habent.

Lectori.

Qui mea sæpe leges, *lectissima* Carmina reddes,
Sicut *lecta* facit, qui semel illa legit.

In-

Insignia Romani Pontificis.

Ternas Papalis gerit una Tiara Coronas?
Unum est, ac summum sub Jove, Papa Caput.

Ad Aug: Cæsarem LEOPOLDUM *I. de Mahometanis, ac Tartaris ad S. Gothardum Triumphatorem, Anno* 1663.

Jam vetus, ac vulgô tritum est anagramma, repertū
In Leopoldino Nomine: *pello duos.*
Fecisti *Leopolde* novum; Victórque *duorum*
Jure novo, de Te dicito: *Pello duos.*

Insignia Regis Christianissimi.

Gallia præsefert *tria* in uno *Lilia* Campo,
O! *Flores*! Christi quàm bonus estis *odor*!

De esca, & potu Christi.

Parvulus *Emmanuel* comedet cum *melle* butyrum,
Vinum myrrhatum postea, *félq;* bibet.

De S. Proto-Martyre Stephano.

Dum *Stephanus* Cœlos è terris spectat apertos,
Quidni Judæi *tartara* aperta vident?

Ad Eundem S.

Si fuerint (ùt erunt) jacta in Te saxa, *Pyropi*,
Par erit in *pretio* nulla *Corona* Tuæ.

De S. Joanne Evangelista, quem diligebat JESUS.

Divinum supra *pectus* jacuisse *Ioannem*,
Quam mirum ! cur hoc ? esse *cor* intus amat.

De SS. Innocentibus MM.

Vix nati, fundunt Pueri cum sangvine vitam,
Nempe illis *mors est vivere, vita mori.*

De S. Silvestro.

Nil Tibi Sivester silvestre, nihilque ferinum,
Solum Silvestri nomen *inane* Tibi.

Author anserinæ pennæ suæ, quâ Philosophiam, ac Theologiam totam, eâdem numero, septenniô, scripsit.

Septem olim *Iacob*, pro te *Lia*, servijt annos,
Septem alios pro te, captus amore, *Rachel.*
Septenni obsequio mea *penna* lucratur utramque:
Philosophia, Lia est, *Theologia* Rachel.

De eodem Calamo, qui unicâ intinctione contentus, horariæ scriptioni, sufficienter atramentum, citra ullam fraudem, subministrabat.

Quantumvis *bibulus* dicatur, & audiat *anser*,
Anseris hæc bibuli *sobria penna* fuit.

Ad

Ad Lunam Othomanicam.

Luna incrementum, decrementúmq; videmus:
Decrementum opto, *Turcica Luna*, tuum!

Hugolino.

Atrum cùm tibi ſit, tinctum fulgine, *mentum*,
Eſtne *atramentum*, mentum, Hugoline, tuum?

Cur circumciſus Ieſulus?

Plurima contraxit, noſtri ergo, *debita* Chriſtus,
Quæ cùm non poſſet *ſolvere*, pelle luit.

De Eodem.

Quàm Jesus noſtri citò *febricitârit amore*,
Conjecturam ex hoc *ſangvine*, quisque cape.

Ad Eundem.

Quis *conſangvineum* Te noſtrum *Chriſte* negârit,
Quum conſangineum *ſangvis* hic, eſſe probet?

Strena.

Aurum non habeo; *nihil* eſt pretioſius *auro*,
Hoc habeo, in ſtrenam do *nihil* ergo tibi.
Nec *nihil* eſſe puta; vel ſi *nihil* eſſe putâris,
Omnia *de nihilo* facta fuiſſe ſcias.

Ad S. Norbertum, Euchariſtiam manu præferentem.

Albentem ſub farre Deum tua monſtrat imago
Candor *candori* convenit iſte tuo.

Ad Ejusdem Sancti Religiosos.

Præmonstratensis bene vester dicitur Ordo,
A præmonstrato farris in orbe, Deo.

Imperfectus Viro perfecto.

Nemo meas, & nemo tuas potis edere laudes;
Est tibi nam virtus plurima, nulla mihi.

Gibboso à Nativitate.

Natus es in *gibbis*: non posses dicere de te:
Ante omnes colles *parturiebar* ego.

Imperito Kalendaristæ.

Plurima menda tui, (taceo mendacia) libri,
Cùm de temporibus *vaticinantur*, habent.

Genethliacon cuidam eximio Eloquentiæ Professori, M. G.

Rhetoricen *denis* docuisti *Melchior* annis,
Et quòvis hominum *flectere* quemque potes,
Nulla tamen tua me sic *argumenta* movebunt,
In *pretio* ut cesses esse, & amore mihi.

In Christianum, Mundo, & Carni deditum.

Nemo potest aptè *Dominis* servire *duobus*,
Et servire, putas, te bene posse tribus?

Ma-

Masculo Nasoni.

Parva, sed ingentem sortita culina caminum,
Appositè dici posset *imago* tui.

De Luthero, ejusdémq; Catharina de Born, Lutheranæ Sectæ Authoribus.

Lutherana fides Matre, & Patre gaudet; an ulla
Convenientiùs est hac fide *nata* fides?

De Cometa tempore Nativitatis Christi.

Si quando mulier, veluti cimelia, Drachmam
Perdidit, accenso lumine quærit eam.
Perdidit ingentis pretij Cimelion æther,
Idcirco *accensam* hanc credimus esse *facem*.

Ad Illmos tres Fratres S. R. I. Comites de Sternberg, de Gentilitia eorum stella, à tribus Magis, ad eos traducta.

Cùm vestrum sit stemma *trium* de stemmate *Regum*.
Ducet ad ipsum ergo *Vos* quoque *Stella* Deum.

De antiquitate Stemmatis eorundem.

Stelligeros quisquis *Proavos* numerare valebit,
Pœne etiam *Stellas* is numerare potest.

Ad eosdem Illmos.

Regibus una *tribus* quæ luxit Stella, relucet
Hæc eadem vobis *Fratribus* una *tribus*.

De Adoratione Magorum post Circumcisionem.

De genibus JESUM Reges venerantur; *Honore*
Dignus eo *Cæsar*, Cæsare dignus honor!

Ad Caulam, in qua Christus creditur à tribus Magis adoratus.

Caula vocabaris, jam desine *Caula* vocari;
Regia nunc dici à Regibus *Aula* potes.

Ad Bibianum, de Rivola vino.

Si venit à *Rivo*, sic dictum, *Rivola* vinum,
Quî petit ergo tuum, mi *Bibiane*, caput?

Vita chara.

Qui *Medicè* vivit, *Mendicè* vivit; at æger,
Malo, inquit, *Medicè* vivere, quàm *Modicè*!

Pictori novalibus abundanti.

Unde tibi, quæso, tam multa novalia, Pictor?
Jam scio, *Cursores*, es quia Pictor, habes.

Ad quendam insignem Poëtam hujus ævi.

Magnus Alexander sibi *deêsse* dolebat Homerum,
Nunc quod Alexander *desit*, Homere, dole!

Grus, & Mulier.

Grus nimiùm garrit, nimiùm quoq; fœmina garrit.
Obstruat, ut sileant, os utriusque, *lapis*.

No-

Nobilitas, Bohema hoc præsertim seculo, ab ingenijs, ac literis commendatissima.

Inclyta *divitijs* fuit antè Bohemia magnis,
At nunc *ingenijs* inclyta facta magìs.
Ingenio potiùs, quàm sangvine stemmata vivunt.
Hoc etiam titulo vivere digna diu!

In Battum vagum incertæ nationis.

Cùm sis, nescio, quis, mentiris, Batte, *Polonum.*
Est tua *Græca* fides, scribe, *pol* ὄνος, ego.

Gibboso.

Antè, ferunt alij, positum sub pectore Ventrem,
Tu, nisi fortè tibi sint duo, *retro* geris.

Pilatus.

Quod *scripsi, scripsi*; Pilati propria vox est:
Scribarum nostri temporis, ecce *typum*!

Podagrico.

Nulla tui memet penitùs *miseratio* tangit,
Qui *podagrām* in plumis, panniculisque *foves.*

De Muneribus Magorum.

Pro stabulo *thus* est; pro paupere Matre sit *aurum*;
De reliquo *IESVM*, non nisì *myrrhā* manet.

Religiosus in Jesulū, per 3. Vota liberalis.

Tres *tria* dona Magi thus, myrrhā, aurúmq; dederūt;
Unus ego *totidem*, JESULE, dona dedi.

Pau-

Paupertas aurum est; *Thus* lilia casta figurant;
Votum parendi *Myrrha* fuisse potest.

Paupertas Religiosa pretiosissima.

Paupertate quid est toto pretiosus Orbe?
Quam, nisi *divendas omnia*, nullus emes.

Troja.

Troja fuit quondam toto *clarissima* mundo,
Dum Trojæ *arderent* omnia, *clara* magis.

Evanidè glorianti.

Quæ tua virtuti sociata industria gessit,
Marmore (sed *Ponti Marmore*) digna putem.

Religiosi Pauperis, in pauperes liberalitas.

Auri *sacra* fames! quæ nam *sacratior* istâ?
Si mihi mille forent aurea pondo, *darem.*

Amico, in lecto studijs vacare solito.

An lectus venit à *lectum*, *lectúve supinis*,
Multa quòd in lecto scripta, *jacendo*, legis?

Cuidam Pictori.

Imprimis homines bellè depingere nôsti.
Nè me sic pingas, per tua, téque rogo.

De Tacito.

In libris *Tacitus*, multa est, & pulchra *locutus*;
Inde mihi tacitus *non reticendus* erat.

Quis-

Quisnam Senex ?

Iunior, ante ſenem quidam dum *mortuus* eſſet ;
Ecce ! ſenex inquit, me magis iſte *ſenex*.

In Calvum.

Poſſit ut ante hominis mortem, *Calvaria* dici ?
Eſtne *Caput* : non eſt : excipe, *Calve*, tuum.

In deditum otio.

Otia ſectari probro, vitaréque laudi;
Quid facias igitur, *nil faciendo*, vide.

De M. Joanne Huß.

E cinere, & *buſto* redivivus ſurgere *Phœnix*
Dicitur, è *buſtis Huß* quoque ſurge tuis !
Surget, at infelix ſupremo in tempore Phœnix,
* *Anſer* ut æternum vivat *in igne* miſer.

De Thermis.

Quis quis in hanc deſcendis aquám, memor, unde ſcaturit,
Ut ſua ſit *Fonti* feſta *Corona*, vide.

Stibio Utendi.

Sæpe tuam *Stibio* faciem dum pingis, & ungis,
Quod *natura* tibi non dedit, *arte* paras.
Tolle ſuperficiem faciei, tolle *colorem*,
Et *facie* facies eſt caritura ſuâ.

De S. Paulo.

Ut *Capiti* membrum Paulus *conformius* eſſet ;
Noluit in proprio corpore ſtare *caput*.

* *Huß Bohem: Anſer.*

De eodem.

Vas fuit *electum* Paulus: num lacte refertum?
Cùm pertusum esset, non nisì lacte fluit.

Rerum instabilitas.

Tristia succedunt lætis, & læta vicissim
Tristibus: *ambiguo* durat in *Orbe* nihil.

In Milium, in impostura deprehensum, & à rusticis contusum, ut claudus fieret.

O! Mili! Mili *brevior* pede factus es uno,
Te non iste bonas *pes* monet *ipse* vias.

In eundem Milium.

A *milio* dictus mihi *Milius* esse videris:
Non procul à *Milio Cannabis* esse solet.

De S. Sebastiano.

Dive! suas in te jaculante furore *sagitas*,
Factus es æthereo dignus Amore *scopus*.

De eodem Sancto.

Mors *Pugiles* alios telo prosternit in uno;
Unum in te *frustrà* plurima tela, jacit.

Cuidam Barrocato.

Tanta capillorum super uno vertice *moles*!
O quantum! quantum subter *inane* tegit!
Si tibi tam multus crevisset sponte capillus,
Esset vix *cerebri*, nunc super, *umbra* tui.

Cæ-

Cælum.

Cœlum à *celando* quidam dixêre; quis ergo
Arcana illius gaudia nôsse potest?

Ad Calvos.

Quâ de Progenie descenditis? anne bifrontis
Vos ego de Jani posteritate putem?

Cuidam Apostatæ, de S. Antonio.

Legitimis *reddit* Dominis *amissa* Patronus;
O si te *Domino redderet* ille suo!

Gibboso.

Illa tuo, quæ fixa cohæret *mantica* tergo,
Nónne *grave* est pondus? debet at esse *leve.*

Senatori juvenculo.

A senio dictum Veteres voluêre Senatum,
Ergo Senator tu non es; at esse potes.

Ad Anabaptistas.

Qui propiùs Christi Baptismum attingere vultis,
Cur ad J*ordanis* non residetis *aquas*?

Superbus.

Quem tumidè vanus turgentem spiritus inflat,
In mirabilibus se super, ire solet.

De S. Agnete.

Agnetis lateri semper *comes* additur, *agnus*,
Nè solum Agni illam nomen habere putes.

Ho-

Homo homini lupus.

Pisces majores constat glutire minores ;
Sic homo, majoris sæpe fit esca, minor.

Pauculi, Studiosi veri.

Si Studiosorum *nomen* spectare velimus,
Innumerus numerus, nè dubitemus, erit.
Contrà, si *studium* spectare velimus eorum,
Vix poterit *Census* Pallas habere suos.

Intemperanti.

Tormentum ingenij bona, Flaccus, *Vina* vocavit,
Ingenium *pedibus* forsan inesse ratus.

Furi, ungvibus aduncis.

Tu nec ab *Harpyis* latum discedis ad *ungvem*,
Qui tantos *ungves*, vulturis instar, alis.

In Ovenum.

Carnalis magìs es, quàm spiritualis, Ovene,
Carnem namque tuum *carmen*, Ovene, *sapit.*

Februarius plerumq; frigidus.

Si venit à *febribus* mensis, *Februarius*, ergo
Quomodo non omnes, hoc veniente, *tremant*?

Terra.

Terra nimis tetra est ; surgentibus hispida gibbis,
Jam crinita nimis, quæ modò calva nimis.
Jam nigra, nunc viridis, modò multicoloribꝰ herbis,
Mox nimiùm mollis, mox quoque dura nimis.

Deni-

Deniquè terra putris, terra aspera, squalida terra!
Non es *digna* hominis, non es amore; *vale*!

Pseudo-Politicus.

Frigidus, & calidus cùm spiret anhelitus olli,
An tali ergo putas, est adhibenda fides?

Classis Pyratarum.

Prædonum classi *malus* non sufficit unus,
Quot numerat *Nautas*, fert tot & illa *malos*.

Juris-Perito.

Juris Consultus qui nunc C*larissimus* audis,
A *morte*, eclipsin, ne patiare, *cave*!

De S. Mathia Apostolo.

In quem *Sors* cecidit, cecidit cum sorte *securis*.
Quàm felix casus, *casus uterque* fuit.
Sorte tamen primâ, *securior* ipsa *securis*
(Quòd mox is Cœlis assereretur) erat.

Vinum regit.

Vina *coronabant* Veteres, ùt scripta loqvuntur:
Quid mirum, quòd nunc *Regna* tot, illa *regunt*?

Mors ab avaro maximè timetur.

Nemo magìs *mortem* metuit, quàm *dives avarus*:
Sicut enim *fures* illa venire solet.

Loquaculo, de Horologio.

Quemlibet ante sonũ tot sphæræ, orbésq; moventur,
Dum *percussa* ictu Cymbala *ritè* sonent.

Tu,

Tu, ne pœniteat, te aliquando fuiſſe *locutum*,
Diſpicias, par eſt, expediátne loqui?

Horologium ſolare.

Sole ſerenato ſtylus umbram, umbra indicat horam,
Hora ſecuturum, quemque docebit, opus.

T*empus.*

Tempus *præteritum*, *præſens*, eſt atque *futurum*,
Pars quota de toto hoc tempore noſtra *modò* eſt?

Aurora.

Nuncia paulisper venturi *Aurora* diei,
Aurea quàm bellè dicier *hora* poteſt!
Aurea ſit quamvis, tamen eſt *inviſa* frequenter;
Viſa quibus *rarò* ſcilicet eſſe ſolet.

Manè.

Manè color rebus, faciésq; reducitur Orbi,
Corporibúsq; redit mens, animóq; vigor.

Dies.

Quid mihi cum *Stellis*, alijsq; minoribus aſtris?
Cùm mihi Sol faveat, cetera curo nihil.

Heſperus, idem cum Phoſphoro.

Heſperus, inducit tenebras, inditq; ſoporem,
Phoſphorus at factus, rurſus utrumq; fugat.

Nox.

Nox licèt innumeris *oculata* ſit undique ſtellis,
Cernit at illa ſuo cœlite *Fratre* minùs.

Cen-

Censori.

Hæc si perpetuæ *noctis* caligine damnes;
Hisce *bonum*, nunquam dicere, *manè* licet.

EPIGRAMMATUM CENTURIA QUARTA.

Lectori.

AUthoris fies Mecænas, atque libelli,
O Lector! *Censor* si neutrius eris.

Ad Sacratiss: Cæs: LEOPOLDVM Im. *tot inter adversa, & arma sibi semper constantem, & victorem,*

Quis tot in *adversis* fortunæ *casibus* usquam
Viribus infractis, incolumisq; *stetit*?
Primus es ô Cæsar! cantande Nepotibus olim,
Qui *Primi* titulum *Nominis* hujus habes.
Plurima bella geris; sed suscipis arma *coactus*,
Palma vel invito provenit ergo Tibi.

Discipulis suis.

Vos ego versiculos docui, sed carmina vos me;
Discit enim Doctor plurima, quando docet.

Ad

Ad Illmū Prosapiam Martinitzianam, de ejusdem Insignibus.

Nympheas tibi terra dedit; *Stellam* astra dederunt,
Chara ô Terrigenis, Cœlitibúsq; *Domus*!

Ad RR. PP. Carthusianos, & Paulinos, qui sibi in perpetuum usu carnium interdixerunt.

Hic siquidem vobis est Quadragesima semper,
Vos in Cœlo igitur quid nisi *Pascha* manet?

De Salmone, & Salomone.

Ceû inter pisces nullus *Salmone sapit* plùs,
Sic hominum nemo plùs *Salomone sapit*.

Bollandus, & Reynaudus, insignes scriptores è Soc: IESV.

Plurima Bollandus, Reynaudus plurima scripsit,
Una ambobus erat Bibliotheca, *caput*.

Ad Juris-consultos, de Digestis.

FF., geminum Digesta notat, si quando citantur,
An quia Digestis est sua *Fracta Fides*?

De Gentilitijs Cultris Prosapiæ Dietrichsteinianæ à Toga, & Sago celeberrimæ.

Fert *geminos* grandes stirps Dietrichsteinia *cultros*,
Metiri hinc *Vires*, *ingeniúmque licet*.

Inge-

Ingenium notat illa acies, ac *mentis acumen* :
Arma, animos, vires, *culter* uterque probat.

Medico.

Si *bene* cum reliquis esset, *malè* semper haberes ;
Verùm cùm *malè* sit ; *Tu bene* semper habes.

Aliud.

Tu *curas* alios, alij Te verò vicissim,
Sed Tibi *cura* Tui *certior* esse solet.

In obitu Advocati.

Multorum *caussas* dixítque, egítque Clientum ;
Iudice nunc Summo, *dicit*, agítque suam.
Quid consvêsse juvat reliquorum, *evincere* caussas,
Infelix actor si *cadat* hicce suâ ?

In obitu Medici.

Cùm *Medicos* tollat mors *insanire* videtur,
Ut quid enim Medico *sanus* haberet opus ?

Neo-Magistro Philosophiæ, Condiscipulorum ultimo, solatium.

Non es *postremus* numero, seriéque Sophorum,
Ni *posthac* nemo jam *Sophus* esse velit.

Julio, Ethices Auditori.

Imbuit Urbanis te *moribus* Ethica, *Iuli*,
Imbue tu *mores*, moribus hisce *tuos*.

Ari-

Arithmetico, de 4. Arithmeticæ speciebus.

Divide cum ſocijs, ſed pauperioribus *adde*,
Multiplicas, quoties *ſubtrahis* ipſe tibi.

Ad Illmã Kolovratiorum Proſapiam, de fracta *illius* Rota.

Fortunam durare Tibi *conſtanter* eandem,
Non miror: *fractâ* poſſit abire *Rotâ*?

Epitaphium Veterum.

Sit tibi terra levis! Priſci inſcripsêre ſepulchris;
Sæpe tamen *lapides* impoſuêre *graves*.

Mathematicus, & Geometra.

Aſtra *Mathematicus*, terrámque *Geometra* ſpectat:
Sit memor iſte *poli*! ſit memor ille *ſoli*!

Rhetor, & Poëta.

Vendicat Orator *Dixi*; *cecinique* Poëta:
Ille *movet* dicendo, iſte canendo *trahit*.

Laus Concionatoris.

Ad populum, qui verba facit, laudem inde meretur,
Si verè liceat dicere: *Verba facit*.

Vinum Theologicum.

Vinum *divinum*, vinum generoſius, audit,
Divino ſoleat ſæpe quòd ore bibi.

Multa

Multa vorant Myſtæ populi delicta; quid ergo?
Tam *crudus* tali embammate *bolus* eget!

Legitimato, per publicum Diploma.

Legitimo non eſſe toro te Pontice natum,
Clàm fuerat, toto nunc fit in orbe *palàm*.

Amico Podagrico.

Opto *pedes* podagræ, quos nulla podagra ligârit,
Ut procul à *pedibus* ſit, *fugiátque* tuis.

Vienna, Anagram: *En vina! in vena.*

En! Anagrammatici, bona *Vina*, *Vienna* propinat!
Quæ quisque *in vena* poſcit habere ſua.

Carolus V. Imp. juſſo valere Imperio, in Monaſterium ſe abdit.

Carolus Auguſto, *Quintus*, de Nomine *Cæſar*
Regna, & Regnorum ſceptra *valere* jubet.
Non potuit meliùs *totum* ſibi ſubdere *mundum*,
Quàm *totum pedibus ſubijciendo* ſuis.

Ad ipſum Carolum V. de hac ſui ipſius Victoria.

Carolus imperiò, geſtis, ac Nomine *Magnus*
Præripuit titulum, *Carole Quinte*, Tuum.
Magnus uterque eſtis! verùm diſcriminis ergo
Tu *Magnus* dici, *Maximus ille poteſt.*

Ad S. Franc: Borgiam Soc: JESV.

Purpureum despexisti Francisce *Galerum* :
Quantò illum tunc plus *erubuisse* putem.

Ad Eundem, ex morte Isabellæ in melius mutatum.

Mors Isabellæ peperit Tibi ; Borgia , *Vitam*,
Esse igitur *mortis filia*, *Vita* potest ?

Personatus Dæmon , in specie simiæ , à D. Dominico cereum tenere coactus est.

Luxerit oranti Tibi quàmvis *Lucifer* iste ;
Angelus hìc *lucis* non fuit, *antè* fuit.

Christus , inclinato capite, emisit spiritum.

In Christi Pectus cervix *inflexa* recumbit ;
Esse quis illius jam *leve* credat *onus* ?

Joannes, *Anag*: En Jason, *cum Agno pingi solitus.*

Scire rogas, quid sit nomen tam grande *Ioannis* ?
En Iason ! versum nomen , & *Agnus* erit.

Quadragesima multis invisa.

Fert licèt apricum ver Quadragesima secum,
Contentus tamen hac est propè nemo *quadrâ*.

De

De S. Casimiro.

Mortuus *Angelicè*; quia Virginitatis amore,
Plùs *Castis mirus*, quàm *Casimirus* erat.

Valetudinario, nimiùm delicato.

Si morbus morbum potis est sentire vicissim,
A morbo *morbum contrahet* ille tuo.

Sincerus Versipelli.

Unde meo, nescis? veniat gravis halitus ori?
Multa *arcana* in me *computruisse* scias.

Ad S. VVenceslaum Boh: Ducem, Hostias, ac Vinum pro Sacrificio Missæ, proprijs manibus, conficientem.

Cùm *Panem, Vinúmq;* aptas Cœlestibus *aris,*
Melchisedech dici, Wencesilâe, potes.

De eodem Sancto, à fratre Bolesl: occiso.

Quando Boleslaus Te, Wencesläe, necavit,
Alter *Abel* fueras, alter at ille *Cain.*

Ad Drahomiram impiam, S. VVenceslai Matrem, terræ hiatu. Pragæ in Hradczan, absorptam.

In magnum *blasphema* DEUM, *Drahomira* peristi!
Quàm *Draco mira* in te nunc, *Drahomira,* patrat!

De Gentilitia Lobkovitiorum Aquila, aureo vellere, insigni.

Sunt Aquilis *pennæ* volucres, non vellus, ut agnis:
Vestra, super pennas, unica *Vellus* habet.

Ad Illustrissimos Sternbergicos, de eorum Stella.

Nocte micant aliæ, si quando serenior æther;
Aura licèt fuerit *turbida*, vestra micat.

Gen: Domino VVenceslao Zdiarsky, Opt: Amico suo.

Servus erat Wenceslao Podivinus; Amice,
Es Wenceslaus Tu, *Podivinus* ego.

De S. Thoma Aquinate.

Thomas arrepto lenam *titione* fugavit,
Ohe! etiam *flammam* flamma necare potest!

De ejusdem Insignibus.

Aurea de collo *torques*, & in aure *columba*,
Sol medio situs est pectore, Dive, Tibi.
Sol Tibi dat radium; pennámq; *Columba* ministrat,
Torques in Cœlum Téque, tuósque trahit.

Avaro, & Mulieroso.

Sepi aures spinis, nisi cerâ claudere malis,
Sirenum, aut *auri* nè capiare *sonô*.

Sacer.

Sacer Benedictinorum Ordo, olim toto Orbe celeberrimus.

Quot quot in hoc vivunt Cætu, vixereq; quondam,
Omnes nil aliud, quâm *Benedictus* erant.

Quinque F. Chymicorum propria. Cuidam Chymistæ.

Chymistas plerumq; tuos F. quinq; seqvuntur:
Fuligo, fumus, fraus, fuga, furca; time!

Cuidam Invido.

Rem fers indignè, me *vivis* scribere laudes;
Me tibì scripturum, si *moriare*, scias.

De inepto Authore.

Edidit extremâ non nemo ætate Libellum;
Sanè ætas sterili convenit ista Patri.

Praga Metropolis Bohemiæ, Bohemicè Limen dicta.

Si Praga est *limen*, à limine dicta Bohemis,
Quanta est hoc regnum *Ianua*! quanta *Domus*!

Arithmeticus Arithmetico.

Nec mora; *multiplico* paucos, in millia nummos,
Illico sed totum *subtrahis* arte pari.

Ad Milites Cæsareanos.

Cæsareum quiddam est, etiam pro Cæsare *cadi*,
Non hostes tantùm *cadere*, Cæsareum est.

Diviti, & Obeso Portitori.

Et ventrem, & numos, *Naulo* uni, *Pontice*, debes
Solâ, quis credat? Pontice, vivis *aquâ*.

Venetiæ.

Antiqua Urbs Venetûm medijs consistit in undis,
Et quidam velut est: *Vnio*, natus aquis.
Unio quem constans *concordia*, & *unio* servat,
Defenditque sacer *Religione* Leo.
Unio, quem *magnî*, Romæ *annulus* æstimat ipse,
Quem *Piscatoris* nomine, Roma vocat.

Visæ ad tumbam S. Ignatij, Fund: Societatis JESV, stella.

Fert Anima in Cœlum sese sine corpore; *Cœlô*
Attamen in *terra* non caret hocce suo.

Ad eundem S. Ignatium.

Quando tuâ lemurum pelluntur *imagine* formæ;
Tunc *spectrum* lemurum dicier illa potest.

De S. Vito M. & Patr: Bohemiæ, ad Regnum.

Cum vigili *gallo* Vitum quid Czechia pingis?
Scis illum *lucris invigilare* tuis.

De S. Gregorio Magno.

Magnus es à calamo, seu libris, *Magne* Gregori,
Aggestis *major*, *maximus* à meritis.

Ther-

Thermis utenti.

Si quas vis, infirme, tibi conducere Bajas,
Non medici debes immemor esse tui.

Miseria humana.

Ter centum morbis, oculus si subjacet unus,
Quot morbis igitur subjacet unus *homo*?

Slavatæ, olim Slavoniæ, nunc Bohemiæ gloria.

Nunc Slavatæ Regni sunt ingens *Slava* † Bohemi,
* Olim Slavonici *Slava* fuêre soli.

In Psalmum quinquag. Miserere *&c.*

Quale, parum refert, sortita Poëmata, nomen
Davidis fuerint; hoc, *Elegia* fuit.

Mors ex horrore.

Exanimis quidam cecidit, quem perculit horror;
Æquivalet *Morti*, juxta anagramma, *Timor.*

De Salutatione Angelica.

Si Marianarum quæris *compendia* laudum;
Angelico brevius non reperitur, *Ave.*

Libertino.

Cùm modò constanter quasi *Bacchanalia* vivas,
Quadragesima Te jugiter ergo manet.

† *Slava Bohi idem quod gloria.* * *Paproc: in hist. seu Spec: Mor: fol.* 104.

In imaginem Christi è sacratiss: 5. Vulneribus sanguinem copiosè effundentis.

Quorsum tot rosei properant è corpore rivi?
  Vas fieri, *pie* vis, cor *Pelicane*, meum.

Vinicola, & œnopola.

Putationis tempus advenit; [illegible]
  In *Vere* gnavus *Vinitor*;
Potationis tempus advenit, canet
  Æstate vini *venditor*.

Anus plerumq; rixosæ.

More suo rixantur anus; *edentula* cùm sit
  Quælibet, *erumpit* quàm citò *lingua foras*!

De S. Joanne Bapt.

Inchoat â saltu Vitam, positurus eandem,
  Perficiet saltum, quando puella suum.

Compotantium frequens disceptatio.

Fæcundi calices quem non fecêre disertum?
  Doctrinam *infusam* nam dare vina solent.

Calvo.

Ehêu! quàm mal' es; nam vix *bonus unicus* in te est,
  Ut nunc vulgus amat dicere, Calve, *pilus*!

Musica, & Musca.

A *Musca* tantùm Jod unô *Musica* differt;
  Sæpe *importuna* est Musica, Musca quoque.

Jupiter.

Si Jovis è cerebro nata est Sapientia; quæro,
An *cerebro* caruit *Iupiter* inde suo?

Saturnus.

Ajunt, Saturnum *proles glutisse*, Poëtæ:
Ergóne *Saturnus* non fuit antè *satur*?

De Luna Turcica.

Si Mahometanæ nos terrent *Cornua* Lunæ;
Væ nobis, *væ*! si *creverit* illa magìs!

Hebræi.

Retrogradè mos est Hebræis ire legendo,
O! utinam *relegant* ad bene cœpta viam!

Terra Mater, est sepulchrum omnium.

Terra novercali non Matris nomine digna!
Nam sua, quæ genuit pignora, nata, *vorat*.

Martius, & Aprilis.

Martius, Aprilis, *senibus* fatalis uterque,
Hic tumulos *aperit*, sed priùs ille *ferit*.

Discrimen viri, & fæminæ.

Est coma curta viris, longa est mulieribus: illis
Judicium *longum*; Judicium hisce *breve*.

Inepto Poëtæ.

Non nisi *monstra* paris, si quando Poëmata scribis:
Nam nec in hisce *pedes*, nec *caput*, esse solent.

Caussidico.

Omnia si *streperâ* penitùs fora *lite* carerent,
Omni deberes *exul* abesse *forô*.

Primâ Aprilis.

Quisquis acumẽ amas, & in hoc epigrам̃ate quæris;
Quàm! *primâ* Aprilis, *decipiâre*, vide.

Avaro, de auro, à DEO in terra recondito.

Si nescis, licèt obryzum, quàm *vile* sit *aurum*,
Sub *pedibus* quæres, inveniésque tuis.

Paucitas Salvandorum.

Nunc est grex *ovium* longè numerosior *hædis*;
Hædorum longè postea *major* erit.

Frequens transgressio legis.

Lege caret fatum, non *evitabile* cùm sit,
Lex autem *fato* vix *caret* ulla suo.

Ad omnia tardo.

Festina lentè! tu tardus ad omnia quæque:
Tantò igitur citiùs curris ad omne malum.

Pijs manibus Illm̃i DD. VVenceslai Michna, cujus liberalitate, Templum Salvatoris Societatis JESV Pragæ, antehac tenebricosum, redditum est illustrius,

Luce novâ siquidem sacram cumulaveris ædem,
Lux in perpetuum luceat *alma* Tibi!

Ses-

Sesquipedali Masculo.

Parva magìs, quàm *magna* Deum fecêre stupendū:
Numinis, ergo *in Te* dextra *stupenda* magis?

Ad S. Liberatam, seu Vilgefortem Virg: quæ tuendæ pudicitiæ caussâ, barbam à Deo impetravit.

Barba virum decet, atque facit, proverbia dicunt;
Barbam in Te *virtus mascula*, Virgo, facit.

Veritatis Osori.

Quid me pro rostris dicentem audire gravāris?
E Cathedra quando detono, vera tono.

Ad Ludovicum X. Galliarum Regem; in cujus præsentia S. Franciscus de Paula, è fracto numismate, sanguinem elicuit.

Franciscus *fregit* numum, elicuítque *cruorem*;
Sensit at hoc *vulnus cor*, Ludovice, tuum.

Desipienti.

Quæ Jovis in cerebro nata est Sapientia quondam,
In cerebro moritur debilis illa tuo.

Salmo, assvetus molis.

Accolit undosas; ad quas fit præda frequenter,
Quásque suo fert in nomine, *salmo, molas*.

Amico neglectæ comæ.

Fers *incompositum*, certa sinè lege, capillum,
At bene *dispositum* subtus, Amice, *caput*.

Mali, mox initiô plectendi.

Majorem nisi fortè velis evadere *furem*,
Est suffocandus, cœpit ùt esse *minor*.

Alano.

Sæpe tuum tinnire *caput* querularis, Alane,
Quando *vas* aliquod *tinnit*, *inane* scias.

In Auspices.

Sublimes, humilésque avium observare volatus,
Est ultra *plumas* velle *volare* suas.

Pio Bibulo.

Singula, more tuo, *Cruce* sacrâ pocula signas,
Quanto in honore tibi sunt, & amore cruces!
Si nequeas: (*ùt sæpe nequis*) *Crucis* impedit *hostis*,
Orci nimirum *Spiritus*, atque *meri*.

Evclioni decrepito.

Decrepitus cùm sis, quid, amabo, *congeris* aurum?
Auri non curat, *mors*, quia *surda*, *sonum*.
Fulgorémne putas habiturum fortè valorem?
Non solùm surda est, est quoque *cæca* nimis.
Congestorum ergo quorsum tot millia numûm?
Omnia num tecum vis tua ferre? * *feres*.

Ad

* Pauperis Philosophi dictum: *Omnia mea mecum porto*.

Ad Libellum Thomæ à Kempis.

Ut parva in magnis est sæpe scientia libris,
 Sic *magnam* in *parvis* posse *latere*, doces.



EPIGRAMMATUM CENTURIA QUINTA.

De Sacratiss: Cæsare, LEOPOLDO I°. cujus Symbolum: Consiliô, & Industriâ.

Quæ cum Consilio *LEOPOLDI* Industria gessit,
 Nulla *industria* sat, *consiliúmq;* capit.

De Regni Sveciæ Insignibus.

Svecia *tres* olim vice signi nacta *Coronas*,
 O si *Romanæ* redderet hasce *Mitræ*!

Reliquiæ SS.

Exuvias sacras veneramur, *Corpora Divûm*;
 Utpote quorum *animas* vendicat ipse DEUS.

Praga, Bohemis, à limine, dicta.

Pragam à *Liminibus* Dux Prima Libussa vocavit;
 Hostis in hoc figat *Limine* nemo pedem!

Bibliopolæ, plùs æquô sua appretianti.

Carô quum *pretiô* soleas divendere Libros,
 In *pretio* Libros, quis neget esse tibi?

In *pretio* noſtrum cuperemus ùt eſſe *Libellum*,
Sic etiam, ut *pretio* veniat ille *levi*.

Comicus actor â probitate Vitæ, ac agendi dexteritate commendatus.

Quis *perſonatas* Virtutes eſſe putârit,
Perſonas quarum *ſuſtinet hic*, & agit?

Inepto Epigrammatario.

Ut nullum, *puncto*, par eſt, Epigramma carere,
Sic *puncturam* omni convenit eſſe ſuam.
Puncturas non laudo tuas, probo verò viciſſim,
Punctum, quod punctum dicimus eſſe; *vale!*

Podagrico Gen: Domino C.

Verſus ſcande meos, nequeas qui ſcandere *ſcalas*,
Ut fiant *pedibus*, ſic *medicina pedes*.

Podagricus Lunatio.

Infirmos ego geſto *pedes*, caput undique firmum,
Túque pedes firmos, *debile* verò *caput*.

De S. Simeone Salo, ſeu ſtulto, pro Chriſto.

O Sapiens Simeon! qui *Salus* dicier optas,
Ut valeas *ſtultis* mentibus eſſe *ſalus*.

S. Ber-

S. Bernardus, inter alios, ad Claustrum, & Patrem, & Fratres pertrahit.

Esse Patrem Patriæ, res est non rara; sed ingens
Gratia, tum *Fratrum*, tum *Patris* esse *Patrem*.

Ad Rosenbergicorum Prosapiam, de Gentilitia eorum Rosa, secus Fluvios Slavatarum sita.

Plantata ad *Fluvios* Slavatarum, Vestra, *Rosenses*,
Quanto cum fructu *vernat, olétque Rosa*!

Cuidam sapientissimo in Bohemia Magnati.

Historias bellè, & Lingvarum *idiomata* calles,
Flos es *Parnassi*, *Rhetoricésque* decus.
Notus *Aristoteles*, notus Tibi doctus *Aquinas*;
Bartholus, *Euclides*, *Seneca*, grande caput!
Denique, si demas *Medicen*, penè omnia calles;
Tardè illam par est *discere* tale *caput*!

Discipulus Magistro, in arte sua non usquequaque perito.

Si *Doctor* cum *Discipulo par* conficit *unum*,
Ergo etiam *duo nos* in *paritate* sumus.

De

De S. Procopio, Dæmonem ſub jugum aratri compellente.

Procopij imperium cacodœmonem arare coëgit:
Iſtud *mancipio* convenit, illud Hero.

Neglectus Divinorum.

Quis Cœli cauſsâ, crine uno incanuit uſquam?
Canitiem innumeris *ſordida terra* parit.

Ad S. Joſephum.

Diceris eſſe Faber; ſed qualis? opinio multa;
Fabrum ego *Fortunæ*, Te precor, eſſe meæ!

Ad Nob: D. Samuelem Globitz, ſuopte ingenio Geometricam ſcientiam adeptum.

Ipſe *Geometricæ* fueras tibi in arte *Magiſter*,
Eſſe quis *ingenij* vult * *Geometra* Tui?

Ad Chriſtum Dominum de Divino illius Pentametro: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.

Toto è Pentametro, *Divine Poëta*, duorum
Sit mihi *primorum* gratia, quæſo, *pedum!*

Eleemoſynario jactabundo.

Quid quid opis confers Codro, vaneſcit in auras,
Si ſapis, *os clauſum* ſit, ſit *aperta manus.*

* Secundùm Juvenalem.

Ser-

Servus illiberali Domino.

Unica duntaxat, *Dominus*, mihi vocula cùm sit;
Do minus, ex *Dominus* cur facis ergo *duas*?

Chartæ Cambiales.

Omnibus *ex chartis* non est *pretiosior* ulla,
Quàm quas *venales Camsor* avarus habet.

R. P. Frid: VVolff Soc: JESU, indole suavi, & zeloso in conversione Hæreticorum.

Nomen habes, Friderice, *Lupi*, re mitis, ùt *Agnus*:
Romanum *similes* optat *Ovile Lupos.*

Porta Othomanica.

O utinam *novus* hanc *Samson* de cardine *Portam*
Tolleret, & spolium nobile, *Gaza* foret!

Mors in olla.

Non solâ nobis Mors *insidiatur* in *olla*,
In pateris etiam, lancibus, ínque cibis.

Vegeto Senecioni.

Tam properè passus glomeras, ut passibus hisce
Ad *metam Vitæ* te properare putem.

Obscuro in suis Theologiæ Professori.

Obscurus nobis DEUS est, *clarissimus* in se;
Tu magis *obscurum*, per tua *scripta*, facis.

Rex,

Rex, & Lex.

Si quanta est *Regum* , foret *observantia Legum*,
Legibus, at nullis *Regibus* esset opus.

Vadimonium obesi, pro Fratre macro.

Germanus pro Fratre *macro* sic pinguior inquit:
Pro Fratre hoc macro *vas*, ego *pinguis*, ero.

Bacchanalium tempore plerumque incendia.

Excipiunt plerunq; *ignes solemnia Bacchi*,
Nempe *dies cinerum* proximus esse solet.

Mors Cygni.

Supremos inter modulos moriuntur *olores* :
Occumbit *læto* funere, *solus olor*.

Furi.

Terna tibi tantùm pro nomine, *litera FVR*, est,
Græcorum Π, te littera *quarta* manet.

Mendaci.

Perjures licèt, haud tua me mendacia fallent,
Fallere me solùm, *vera loquendo*, potes.

Guloni Philosophiæ Auditori.

Plus oneras *Baccho* ventrem, quàm *Pallade* mentem;
Inde tibi *plenus* venter, *inane* caput.

Pro-

Prosapiarum instabilitas.

Apposité Antiquis dicuntur stemmata *Ceræ*:
Instar enim *ceræ*, *stemmata* quæque *fluunt*.

Laus timidorum.

Cor timidis *ingens*; timidos ergo esse negabo,
Quos tam *cordatos*, dicimus esse, *viros*.

De S. Longino, Latus Christi lanceâ rimante.

Spartani dixêre suum, quò pertigit *hasta*,
Jam scio, *Longinus*, quid velit esse suum.

Gens Hebræa excellit in arte saltatoria.

Saltibus in varijs excellere constat Hebræos;
A *Vitulo saltus* hos didicêre *suo*.

Ad Illmos Dominos Sternbergicos, de Gentilitia eorum Stella.

Centrum stellarum Cœlum est; in stemmate vestro,
Et *centrum*, & *Cœlum repperit* ista suum.

Aliud.

Terra nihil, dignum quod vobis esset, habebat,
Hinc *supplent* terræ *pauperis*, *Astra vices*.

Pulchra fiunt, amantium Sepulchra.

Vis mira, ac ingens est pulchris insita rebus,
Ad se *pulchra* trahunt, ádque *sepulchra* trahunt.

Gu-

Guloso.

Neſcio, quis *bolus* tibi nuper *faucibus* hæſit:
Nè *gula* frangatur, ſvadeo, *frange gulam.*

Obeſo.

Cùm tuus abdiderit quàm plurima venter, & abdat,
Abdomen rectè dicier ille poteſt.

Ad Podagricos Amicos.

Ne poſthac ad vos *repedare* Podagra valeret,
Sentiret Podagram, o! veſtra Podagra ſuam!

Jugum Matrimonij grave.

Ire *catenatim* ſoliti *Dolor*, atque *Voluptas*,
Nunc in *connubijs ſtrictiùs* ire ſolent.

Ad S. Simeonem Salum.

Dum ſapiens, ſtultum ſimulans, opprobria, quæris;
(O paradoxum ingens!) *deſipiendo ſapis.*

Luna Turcica.

Dicitur in Cœlo *teſtis*, Luna, eſſe *fidelis*,
Luna ſed in terris quando *fidelis* erit?

Cuidam eximio, & exemplari Eccleſiaſtæ.

Verbi factores, auditorésque requirit
Jacob: ut videas, ſolus *utrumque facis.*

De

De sapientissimis Salmianæ Familiæ Viris, Regibus cognatis,

Quot quot *Salmeo* numeras de *Sangvine* natos,
De *Salomonea* dicito, stirpe satos.

Turpiter hostibus terga vertenti.

Gloria quantumvis *fugientem* sæpe *sequatur*,
Attamen hæc eadem *te fugiente, fugit*.

Pictori eximio, at deformi.

Inducis rebus *faciem*, formámque *venustè*,
Hac etiam *facies* indiget *arte*, tua.

Celeberrimo Pictori, Carolo Screta, Bohemo.

Aptè adeò formas tabulis inducere nôsti,
Ut desit tabulis nil nisi *lingva*, tuis.

Regnum Daniæ, Venationibus aptissimum.

Venandis nata apta feris, & idonea lustris
Dania, mutatâ voce, *Diana* sonat.

Vinum Germanis October-Wasser dictum.

Octobrem appellat Teuto, cur vina, *liquorem*?
Ex liquidis, vinum Teutoni, *ut octo*, sapit.

Ob

Ob delicta malè audienti.

Mysta ſuas, opus eſt, tibi quòd concederet *aures*,
Ut *non audires*, ob malefacta, *malè*.

Samſon.

Ter centum *vulpes* cepit, Leo robore, *Samſon*,
Una dein *vulpes*, *Dalila* cepit eum.

De S. Franc: Xaverio, Indorum Baptiſta.

Indigenas *ſacris* quando Xaverius *Vndis*
Abluit Æthiopes, *non lavat Æthiopem*.

In Rufum.

Exciperis toties, & carperis undique ſannis;
Macte animo! *carpi flos ſolet* ipſe *croci*.

Conſilium avaro.

Quæ digitos *ungit*, mentem illa pecunia *pungit*,
Vis ſanum *vulnus*? pauperis unge *manus*.

Rm̃o, ac Illm̃o D. Joanni Ignat: de Longa Villa, Præpoſito, & Suffraganeo Pragenſi, Româ ex jubileo reduci, eum etiam participi meritorum Societatis IESU Anno 1675.

De *LongaVilla* Præſul! Te ſæpè ſaluto,
Nunc de *Longa* illa, Te reſaluto *via*!

Heu

Heu me! cum quanto meritorum fœnore Româ
Urbe redis, *meritis auctior* ipse tuis!
Non satis est, etiam noster, de Nomine JESU,
Participem meriti, Te facit Ordo, sui!
O Utinam fruerere diu! simul atque placeret,
Participem meriti me numerare Tui!

G. D. N. I. optimi Parentis optimo Filio.

Filius esse sui censetur *Imago Parentis*,
Tu simul & *decorum es* Patris, *imago tui*.

Imberbi Labieno.

Quale tibi mentum est; sterili lanugine glabrum,
Æstimo *nullius*, mi Labiene, *pili*.

Monoculo.

Non tam *pupillam* te *Cocles* habere putârim,
Quàm te *pupillum* Cocles habere putem.

Macularum in sole Assertori.

Quis quis es, & maculas audes aspergere soli,
Luminibus maculas constat inesse tuis.

Rara in terris Justitia.

Justitiam Veteres *Astræam* nomine dicunt,
Justitiam terrâ quòd *magis astra* colunt.

De Cœnaculo, & Cœna Christi.

Grandia quantumvis fuerint *Cœnacula* Christi,
Cœna tamen longè *grandior* hisce fuit.

Ex-

Eximia Virtus Gen: D. C. Itter, sui constantis in Concionibus Auditoris.

Ad superos, quâ tendit *iter*, *Verbo indice* monstro,
Et vix monstratum mox *init Itter*, iter.

Ad Eundem, Apell: Consiliarium, &c.

Qui me pro rostris dicentem *jugiter* audis,
In *Te uno, numero*, Vir venerande, *decem*.

De sudore sangvineo Christi.

Sangvineo JESUS quando sudore madescit,
Proh quantos *æstus* intus *amoris alit*!

Libellus Th: Kemp: lectu svavis.

Singula *pondus* habent Kempensis verba Libelli,
Nec tamen idcirco *sit gravis* ille tibi.

De Bicaudato Bohemorum Leone.

Czechiaco vix est *Leo* par, toto orbe, *Leoni*,
Cui *geminum* gemino in syrmate *robur* inest.

Blanco, amenti Grammaticulo.

Dicere Blance potes ; *sapui, sapijq́ꝫ, nec ultra* ;
Plus nihil ex tota Grammatice *sapio*.

Quotidie Mors.

Si *mors* ô Vates ! *est ultima linea rerum*,
Est, quâ non fiat *linea*, nulla dies.

De-

Devotus fœmineus sexus.

Articulo quævis *muliebri* eſt prædita virtus,
Quòd plùs virtutem *fœmina*, quàm Vir amet.

De cruenta Chriſti Flagellatione.

Virgineum corpus cùm veſte carere videret,
Erubuit toto corpore, *Virgo* DEUS.

Ericius Puteanus Or: Cæſar: 24. Panegyricos, in laudem ovi conſcripſit.

Vicenas quatuor de ſolo ſcripſit is *Ovo*
Laudes; hinc *Ovum* nunquid *ovare* poteſt?

Nimiùm effæminato, & Euclioni.

Sepi aures *ſpinis*, niſi *cerâ* claudere malis;
Sirenum, aut *auri*, nè capiare *ſonô*.

Ad Chriſtum ſpinis Coronatum.

Quàm multo, ò JESU! tuus horret *acumine* vertex;
Tam fueras in nos *ingenioſus* Amor!

Excuſatio Fœminarum plerumque calva.

Aut rarò, aut nunquam mulier calveſcere viſa;
At cùm ſe *excuſat*, plurima *calva* puta.

Aprilis, & Majus.

Triſtis in *inferno* ſemper regnabit *Aprilis*;
Majus at *in Cœlo* ſemper amœnus erit.

Lingua.

Lingua à *lingendo* dicta eſt, quòd *lingere* nôrit:
A delinquendo, linqva vocanda fuit.

Aliud.

Non fruſtra linguam *duplicata* repagula vallant;
Ut par eſt, illam nemo *domare* poteſt.

Ad Pragam, quæ Hebdomadâ Majore, piâ æmulatione ſepulchra adornat.

Dicta *ſepulchra* putant quidam, quaſi ſint *ſinè pulchro*;
Omnia cùm tua ſint, *pulchra ſepulchra*; nego.

De Chriſto, alapâ percuſſo.

Qui faciem Chriſti *palmâ* petulante cecidît,
Scurrâ palmari nequior ille fuit.

Cuidam Matri.

Túne voces *Aſinum*, quem te *genuiſſe* fateris,
Cùm *natura ambos* vos facit una *pares*?

Ad Chriſtum comprehenſum, & ligatum.

Tot quando Pugiles ad te venêre *ligandum*,
Dixero *Natalem*, Chriſte, fuiſſe Tuum.

Ad galli cantum Petrus illacrymatur.

Quē vix ad lacrymas, *idiomata* mille, moverent;
Proh! quantum ad fletum *gallica lingua* movet!

Pijs

Pijs Manibus Illustrissimæ D. C. de Ugezd Fundatr: Coll: Brzeznic: S. J. cujus testamentô Lampas prægrandis, in templo Salvatoris ejusdem Societatis, Pragæ appensa est. 1675.

Arte nitens, ac mole ingens Argentea *Lampas*,
Viva est in templo *cordis imago* Tui.

Laus Majoli.

Majulus in scriptis, non *Majolus* esse videtur;
Majus enim *libris* ejus, *amœnus* inest.

Stibiô utenti.

Tolle superficiem faciei, tolle colorem,
Inplumis nigrô corpore *Cygnus* eris.

Ad B. V. Majorem Romæ, vulgò ad Nives.

Incæsto si quando Venus cor adureret igne,
Mox ô *Virgo* tuas *injice*, quæso, *nives*!

In Calvum.

Calve *pares* estis, *Tu*, & quis? crinitus *Iopas*:
Nemo potest *crines enumerare* suos.

De 5. Vulneribus Christi.

Quinq; Libri Moysis, totidē sunt *Vulnera* Christi,
O nimiùm *durô* grammata scripta *Typô*!

Christus in medio Latronum.

Latronum medius *Salvator* quando pependit,
Sol geminos inter, nè dubitate, ſtetit.

De S. Laurentio Martyre.

Miſcet in igne jocos Martyr Laurentius. ecce!
Par *incombuſto*, *Laurus* in igne, *Rubo*.

Ad Eundem.

Aſſatum eſt, inquit, manducandúmque Tyranne!
O *dapibus* dignos, appoſitósque *ſales*!

Sanctus Laurentius Anag: In te laurus.

Omnia *Laurenti*, tormenta, ac *fulmina*, rides;
Eſt *in Te Laurus*, fulmina nulla times.

Aphoriſmus Galeni, de eſu pomi, veſpere.

Si fuit *heſterno* cænatum *veſpere*, pomô,
Mórsque comeſtorem *mane* ſecuta fuit:
Nil mirum *Medico*: ſatis eſt *pomum* eſſe *comeſtum*;
Galene! *ad mortem ſufficit eſus Adæ!*

Uter alteri aculeatior; Author an Lector?

Authorem Lector, Lectorem vulnerat Author;
Dic uter illorum *fucus*, uter ſit *apis*?
Pungit apis fucum, ſed caſſo *vulnere* pungit;
Enecat, inflicto vulnere, fucus apem.

Author primis V. Centurijs.

Pendet ab *eventu veſtro*; conducat, an obſit
Fratribus; è *latebris* non properare *ſuis*.

PARS



PARS SECUNDA EPIGRAMMATUM

Reverendi Patris

SEBASTIANI LABE è SOCIETATE JESU

CENTURIA SEXTA.

Dialogus Salium, ſeu Epigrammatum.

QUingenti fratres, quingentis fratribus optant
Proſpera; num pax eſt omnibus atq; ſalus?

Reſponſum.

Inter tot pugnas, tótque inter funera, fratres,
Non eſt pax, non eſt omnibus una ſalus.

Vox omnibus una.

Quidni ergo fratres! unà conjungimur omnes,
Cæsímque ac punctim vulnera mille damus!

Pax modò plerumque frivola.

Majorum placitô quamvìs pax *alma* vocetur
Nunc appellari pax *mala* ſæpe poteſt.

Res noxia bellum.

Nulla ſalus bello; potuit Salluſtius ipſe
Scribere de bello, pacis amore, ſuo.

Augurium adversùs Portam Otto-manicam.

Quò tua Luna magis vult ſeſe opponere Soli, *
Hoc dein eclipſis grandior ejus erit.

Leopoldus, antiquo anagrammate: DUPLÔ SOLE; *vel* è DUPLO SOL.

Rebellionum Cauſæ tres.

Magnatum ambitio; tum deſperatio plebis,
Eſſe rebellantûm cauſa, paréntſque ſolent.
Ambitioſorum metuenda rebellio Regnis,
Deſperatorum ter metuenda magìs.
Tertia deterior reliquis, pæne omnia miſcet,
Quam fœda hæreſeon ſecta ciere ſolet.

De hoc exili opuſculo.

Degener in lucem nonnunquã prodit abortus,
Ut meus in mundum nunc quoque partus abit.

Cui-

Cuidam Amicorum.

Usus amicitiæ nimius, contemptus Amici.
Hinc parcè alloquijs utor amice tuis

Cuidam iracundo.

Virtutis calcar, sapiens cùm dixerit iram, *
Ingens virtutum næ tibi calcar inest.
* Aristoteles.

Clementissimo Cæsari Leopoldo I.

Tanta Tibi est pietas ô Sacratissime Cæsar,
Quò dici possis Angelus esse Dei.
Angelus interdum, positâ pietate, scelestos
Arreptô tandem cominus ense ferit.

Invenietis infantem pannis involutum Lucæ 2.

Fasciolis fuerat Puer ad Præsepe ligandus,
Nè natum eriperent protinus astra Deum.

De Sereniss: Electorum Octoviratu ad Hostem Imperij.

Octovirûm totô Clarissimus orbe Senatus,
Consiliô ac armis pollet, ùt octo, time!

Cuidam malevolo.

Talio peccati pœna est, quæ à talibus olim,
Experior qualem te modò, dicta fuit.

Author ad B. V. sinè labe, de suo agnomine.

Sub maris ingressum, cū nomine perditur Albis, *
Sic in Te nomen perdo, Maria, meum.

* *Albis* Bohemiæ fluvius, vernaculâ *Labe* dictus.

Animarum Staturarúmque diversitas.

Sæpe animas grandes exilia corpora portant,
Exiles pariter grandia sæpe gerunt.

Colerus præclarus de re œconomica scriptor,

Anagr: Rus cole, *vel* Cole rus.

Colerus scitè scripsit de rure colendo,
Interpres factus nominis ipse sui.

De Solstitio.

Medicus.

Ægre in Solstitijs ægro medicamina prosunt.

Æger.

Et Medico tempus Solstitiale nocet.

In Luciam R. auro plùs æquo inhiantem.

Argentum Lunæ, Soli componitur aurum,
Solem præ Luna filia lucis amat.

Lubet. Licet.

Si liceat quodcunq; libet, perit omnis honestas;
Si verò libeat quod licet, indè viget.

Perquam lepidum cujuſdam de Concordantiјs Judicium.

Miror (ait) libri pretium, famámque, vel uſum;
Utpote cui ſenſus vix bonus ullus ineſt.

S. Petrus Crucifixus. S. Paulus capite minutus.

Servatum Petro Caput eſt, Paulóque reſectum;
In terris unum par fuit eſſe Caput.

Auguſtiſſ: Imperatori Leopoldo I. à DEO ſemper mirè protecto.

Nulla Tibi ô Cæſar potuêre venena nocere,
Et vitæ inſidiæ nîl tot obeſſe Tuæ,
Nil technæ, nil mille doli, nil prælia, pugnæ,
Nil morbi, mortes, funera, ſtyxque nihil.
Ergo diu ſoſpes quòd ſis, Leopolde, futurus,
Tanta Deo, de Te, ſpem mihi, cura facit.

In Polytheos.

Principium numeri, quum dicere cogimur unum,
Quomodo vos plures dicitis eſſe Deos?

Aliud in eosdem.

Dicite quis numerus, ſeries, munúsve Deorum?
Ordine poſtremus cenſeo veſter erit.

In Atheos.

Si nullus Deus eſt, (quæ vos dementia cepit)
Omnes jure dies ducitis absque Deo.

Aliud in eoſdem.

Si Deus eſt nullus, qui præmiet acta proborum,
Cœli Cœlorum dicite, cujus erunt?

Tertiò in eosdem.

Si nullus Deus eſt, qui puniat acta malorum,
Credam pro vobis tartara nulla dari.

In Schiſmaticos.

Unus ſi Deus eſt, una eſt Eccleſia tantùm;
Unus ſi Pater eſt, unica Mater erit.

Alieno labore glorianti.

In bove ſtans ſuper arva culex clamabat: aramus;
In vitula alterius tu quoque ſtas, & aras.

Magnificentia Domûs Waldſteinianæ, in domo vulgò Waldſteinica, totius Pragæ longè maxima, quadantenus adumbrata.

Magnæ de Waldſtein Gentis, Domus inclyta quàm ſit,
Ex una illius collige Praga, domo!

Bacchanalia.

Eſtur & hauritur per Bacchanalia multùm,
Vult Bacchi ventrem quilibet eſſe ſuum,

Parens nimis diu vivere viſus filio.

Cùm ſuᵒ iñumeros Genitor propè degeret annos,
Filius æternum credidit eſſe Patrem.

De

De 7. Doloribus B. Virginis.

Septenos Divina Parens, perpessa dolores,
Martyr, nè dubita, térque quatérque fuit.

Ecclesiastæ grandioris buccæ.

E Cathedra dum verba facis quasi Tullius alter,
Quilibet auditor pendet ab ore tuo.

Rhetorice & Grammatice.

Alvarus hanc scripsit, scripsítque Soarius illam,
Iste tribus libris, classibus ille tribus.
Fratres germani, germanas jure sorores,
Audent connubio jungere, quisque suo.

Diversa numismata Dei, Homo & Angelus.

Ambo numisma Dei possunt de jure vocari,
Ille moneta recens, iste moneta vetus.

Literæ Uriæ.

Abstulit Uriæ Davidis epistola vitam
Scilicet: occidit litera, Paulus ait.

Diogenes.

Quòd Cynicus Sapiens, portaverit omnia secum,
Exemplô præiit cochlea prima suô.

Votum S. Theresiæ.

Theresiæ votum semper meliora sequendi,
Cœlesti in scala summus ad astra gradus.

Jejunium salutare.

Spiritus adversùs carnem quò vincere posset,
Carne fuit vetitâ mortificanda Caro.

Christus extra urbem natus.

Urbi non uni, sed toti nascitur Orbi;
Dux & Flos campi est, campus utrumq; decet.

Illustriss: ac Excellmo. D. D. Wratislao à Sternberg S. R: I. Comiti, in Regno Bohemiæ Supremo Judici de Stella ejusdem gentilitia.

Justitiæ lances Astræa ùt librat in astris,
In terris Astrum sic vibrat hasce Tuum.

Usurario.

Quod supra numi sortem est, usura vocatur,
Id verò fieri sæpius, usus habet.
Scilicet in manibus Crœsi, paupercule Codre,
Intereunt sortes hac ratione Tuæ.
O miseram Codri sortem; cui perdita sors est.
Sortilegi Crœsi sors miseranda magis!
Scilicet usuram tandem Censura sequetur,
Unde Sepulturam * collige Crœse tuam.
* Sepultus est in inferno *Luc:* 16.

Quæ sunt Cæsaris Cæsari. Matth. 22.

Ut sua Cæsaribus meritò tribuenda videntur,
Sic quoq;, quæ sua sunt, sunt tribuenda Deo.

S.

S. Petrus cum gemina clavi pingi solitus.

Ecce duas Christi Claves !(quarum altera cœlum,
Altera concernit tartara) Petrus habet.
Illa bonis cœlum reserat, sursúmque tuetur ;
Ista malis reserans tartara, spectat humum.

De Sanctis Germano & Gallo ad Tevtonem.

Non secùs ac Divum celebrat Germania Gallum,
Divum Germanum Gallia, Tevto colit.

In Conjuges pygmæos.

Non habet uxorem Cajus, neque Caja maritum:
Hæc uxorcula enim est, ille maritulus est.

D. Bernardus à Deipara lactatus.

Quò producta inter traheret jejunia vitam,
Lacte Mariano jam vir alendus erat.

De ejusdem suaviloquentiæ.

Mellâne Bernardus fuerit, num verba locutus,
Bernardi eloquium me dubitare facit.
Ejus enim sermo tali dulcedine pollet,
Eloquijs Domini qualis inesse solet.
Id solum intererit discriminis inter utrumque,
Mella quòd hæc superent, æquat ùt ille favos.

Renum scrutator Deus.

Ipse Deus, renum Scrutator, oportet, ut adsit,
Quorum per tenebras pleraque gesta latent.

Author amicis, de se plus æquo sentientibus.

Si vellet posset, de me dicuntur amici
Dicere; si possum, me quoque velle sciant.
Plus alij possunt, quos nescio velle; sed opto,
Quò sic plus faciant, me faciente minùs.

Væ soli. Eccles. 4. Ad heterodoxos.

Væ Soli nequaquam esset, si Luna deesset,
Vir Soli, Lunæ fœmina, nónne pares?

De S. Antonio per Angelum Patavio Ulyssiponem deportato.

Aligerô vehitur Paduæ Angelus; ipse volaret,
Angelicis propè par mentibus, ala deest.

Rex, Lex, Grex.

Exemplô Regis, nec non dictamine Legis,
Ducitur ac regitur publica vita Gregis.

Numerosa æquè ac illustris Bohemiæ nobilitas.

Gallia fert celebrátque Pares, Hispania Grandes,
Grandibus & Paribus Patria nostra pares.

Cognovit bos possess: suum & Asinus præsepe Domini sui. Isaja.

Auritus testis, Christi natalis asellus,
Testis at ejusdem bos oculatus erat.

Se-

Senecionis judicium de vino ad juvenem.

Omne ferè vinum, juvenum ſolet eſſe venenum,
Ut ferme contra lac ſolet eſſe ſenum.

Juvenis ad Senecionem reſponſum.

Si quid mortiferum biberint, (miracula quanta !)
Nequaquam virus tale, nocebit eis.

Seculum præſens eruditum.

Dicitur effatô veteri, veneranda vetuſtas,
Vix eſt poſteritas nunc veneranda minùs.

Militi claudo ex bello reduci.

Claudus utrinque redis, ſunt belli ſigna futuri
Non mala; præteriti non bona; nónne fugæ?

Eva & Evax!

Vox exultantis veluti vox dicitur! Evax!
Sic lamentantis dicier Eva poteſt.

Raræ S. Cæciliæ imitatrices.

Organa Virginibus non deſunt Cæciliana,
Cæcilianus eis ſpiritus, árſque deeſt.

Italia Parnaſſus quidam mundi.

Parnaſsô ſi quando ſuô migraret Apollo,
Vellet cum Muſis hìc habitare ſuis.
Quanquam nec Muſæ hic deſint, neque deſit Apollo,
Plena ubi Doctrinis omnia, plena Deô.

Anonymo.

Judicium ſuſpendo meum, tibi dicere mos eſt,
Judicij ſedem noveris eſſe Caput.

Ad S. Bartholomæum.

Propria ſerpenti cùm ſit prudentia, pellem
Ponere, cur ponis Bartholomæe Tuam?
Ille per anguſtum ſatagit penetrare foramen,
Túque per anguſtam, tendis ad aſtra, viam.

Ad eundem S.

Herculis exuvias, & Colchicum Iaſonis agnum;
Exuvijs ſuperas Bartholomæe ſacris.
Ille Leoninis fuit inclytus, alter Ovinis,
Tu verò exuvijs vincis utrumque Tuis.

Ubi Cœlum tres patet ulnas. Virgil.

Tres ulnas Cœlum patuit, quando aſtra recluſit
Chriſtus Homo, ulnarũ plúsve minúsve trium.

Arces & Arca.

Invictæ quamvis arces vincuntur ab arcis,
Et rarò arceri hic hoſtis ab arce poteſt.

Pariſij & Venetiæ.

Utraque pluralem Numerũ nanciſciturUrbs hæc,
Quòd multis valeant urbibus eſſe pares.

Alia via Thebis Athenas, alia Athenis Thebas.

Unicus inter eas ſi mons interjacet Urbes,
Nemo declivem dicet utrinque viam.

Cui-

Cuidam Paſchatis appetentiori.

Non tã Paſcha tibi, quàm pinguia paſcua Paſchæ,
Agnus Paſchalis fortè, * atagénque placent.

Vener. P. Ignatius de Loyola è Soc: JEſu, nuper Rex Feſſæ & Marochi, in navigatione ad Mogores convertendos, ærumnis confectus emoritur.

Contemptô Feſſæ Regnô, ſceptróque Maroci
Diſſita Regna petit Rex novus iſte ſui.
Nempe Coronarum ſitiens avidúsque novarum
Mittitur ad Mogores, navigiúmque ſubit.
Vtque ſubit confectus obit, Regnóque potitur,
Vt ſpes eſt, & par credere, Chriſte Tuo.
Scilicet, aſſuetum Caput hoc Regale Coronis
Rex Regum abſque nova noluit eſſe diu.

Euchariſtia miraculum miraculorum.

Vertitur in carnem panis, vinúmque cruorem,
Quâ metamorphoſi nulla ſtupenda magis.
Scilicet ex nihilo, Panis, Viníque Creator
In nihilum redigit rurſus utrumque ſuum.

Jeſulus nocte natus.

Dum Virgo paritura fuit, nox cæca ruebat:
Quòd tegeretur eâ Virginis arte pudor.

Urſulæ murmuri aſſuetæ.

Vrſula! quæ nimiùm barris & murmura jactas,
Dici non debes Vrſula, at Vrſa magis. *Stre-*

Strena 1684. cuidam Illustrissimo.

Ver, Æstas, Autumnus, Hiems, sunt quattuor anni
Tempora; curriculi quattuor ecce rotas!
Hunc ego Curriculum feliciter opto rotari,
Curreréque in multa prosperitate Tibi.

P. Chistophorus Fischer Soc: Jesu, scriptâ Decade Georgicâ moritur.

De terræ decumis cùm pertractâsset, obivit,
Persolvens decimas hac ratione suas.

Vener: V: Caciliæ Ord: Prædic: Sanctimoniali, nata Comit: de Lilÿs.

Horto parthenio Tua Lilia Virgo dedisti,
Plantaríne queant fertiliore locô?
Nè dubita, ô Virgo! excrescent æqualia Cœlo
Cùm tam frugifero sint modò jacta solo.

Aspirantibus ad alta.

Conferat antè suas, opus est, cum munere vires;
Si non vult probrum muneris esse sui.

Superbiæ unipedi, juxta illud: non veniat mihi pes Superbia Ps. 35.

Pes tibi duntaxat (proh stulta superbia!) cùm sit
Vnicus; omnia sunt alta timenda tibi.

Parum veraci.

Omnis homo mendax; ùt habent oracula Psaltæ;
Næ mihi tu, quamvis unicus, omnis homo es.

Hodie

Hodie huic domui Salus facta est. Luc: 19.

Omnia præfatas memorant encœnia voces;
An quia tunc multis vox placet illa, Salus?

Argentoratum Urbs nuper libera.

Nomen ab argento trahit Argentina; quid? auri
Nomine libertas aurea digna fuit.

Eadem Germanis Strasburg dicta, nunc in potestate Regia.

Nunc ab Rege suo, Via Regia, digna vocari,
Quam Tevto dictam à Civibus esse putat.

Cæsari Baronio.

Dignus es à quovis laudari Cæsare Cæsar,
Quantò majori jure, Barone Baron?

Aulico.

Aularum mos est, ferri sursum atque deorsum;
Quid motus sit contrarius, Aula docet.

Comes Anglicanus, læsæ Majestatis reus, optione sibi factâ, in Massico mori praelegit.

Qui sibi delegit vitam finire bibendo,
Haud fuit indultum sobrius ante merum.

Formosulo.

Aut Narcissi in te pulcerrima forma revixit,
Aut mera Narcissus fabula vivit adhuc.

Batta

Battologo.

Sermo tibi plerumque rudis, prolixus & audax,
Est impossibilis res, epigramma tibi.

S. Hieronymus pectus lapide diverberans.

Verberat arreptô præcordia Dalmata saxô,
Cordis ut affrictu prodeat ignis, Amor.

Echo Amoris.

In quacunque domo fuerint unius amoris;
Unius pariter moris, & oris erunt.

Christus in medio Latronum.

Latronum medius quâ lege pependit Jesus,
Qui Legis lator, non latro legis erat?

Bellorum causa.

Unica bellorum causa est, non una voluntas;
Si namque una foret, pax quoque suma foret.

Mundus muliebris.

Fœmineo generi mundus non sufficit unus,
Ipsa creat mundos fœmina sæpe novos.

Aliud.

In mundo tria sunt, dilectus Apostolus inquit:
Fastus, avarities, luxuria; ecce tria!
Non caret hisce tribus, quem portat fœmina, mundus;
Unde etiam mundi non malè nomen habet.

Lin-

Lingua detractoris.

Ipſa mihi viſa eſt hanc inflammâſſe gehenna,
Quòd famam fumis denigret illa ſuis.

In eandem.

A'traho compoſitum placet illi detraho verbum;
Extraho, carnifici, lege jubente, placet.

Unde lachrymis ſalſedo?

A Sale ſalſeſcunt lachrymæ; Sapientia ſal eſt.
Hæc oculis cùm ſit proxima, ſallit aquas.

Silicernio nupturienti.


Solam connubij communem agnoſco ſecundam,
Túne ſenex totum reddere tale velis?

Sultanus Solis ac Lunæ frater.

O quàm diſſimilis fratri eſt, ſimilíſque ſorori,
Stultitiæ ſiquidem congruit illa ſuæ.

Dedicatorium ad S. Franc. de Sales.

Hoſce meos nè ſperne ſales, Divine Saleſi,
Quô pactô Salibus ſal ſit ubique ſuum.
Sal terræ quondam fueras, nunc eſto meorum
Sal ſalium; paries hac ratione ſitim.



CEN-



CENTURIA VII.

Augustissimo Cæsari

Invictis Regibus, cæterísque Principibus Christianis, post solutam Viennæ Obsidionem 1683.

ALloquor in vobis Athletas cœlitus unctos,
Unctos in luctas, prælia Sancta DEI!
Sumite nunc scutum fidei, galeámque salutis,
Pro Patria, Imperio, Relligione, DEO!
O Caput Augustum! fortunatissime Cæsar!
Augusti Reges! Christiadúmque Duces!
Cernitis, ùt totus pro nobis militet æther?
Ut DEUS Austriaci Cæsaris arma juvet?
Sepositis, si quæ gliscunt, tantisper ad aras,
Dissidijs, belli fœdus inite novi!
Ecce triumphorũ campus, núnc undique palmis
Consitus! en vobis! (pergite!) Porta patet.
Porta (inquam) jam mota suo de cardine nuper;
Hanc ô Samsones tollite! Gaza patet.

Au-

Audior! & primo resonantia Classica vere
Audio! Samsones Porta Otomanna time!

Sanctum & optabile Principum responsum.

Jam conjuratis animis procedimus omnes,
Ad sua, quô Reges tempore, bella solent.
Arma secundabunt Superi; nam bella geruntur
Pro Patria, Imperio, Relligione, Deo.
Roma juva! bellóque sacro beneRoma precare,
Latiùs ut pateat Grex & Ovile Tuum.
Fortunam, Sultane, time proCæsare stantem,
Et belli, quæ nunc sumimus, arma sacri.
Non privata isthoc sectamur commoda Marte
Alea communis nos movet una, boni.
Ergo bonis avibus, ventis, fluviísque secundis,
Mentes magnanimæ pergite! vela damus.
Sentiat heu! vulnus, cæsim punctímq; Monarcha
Barbarus! ut rubeat sanguine Luna suo.
Dicite nunc Stellæ Vestro cum Sole vocatæ;
Adsumus! occasum perfida Luna time!

Sanctissimo D. N. Papæ, Innocentio XI. bellum adversùs Turcos, etiam sacri thesauri impendiô, strenuè promoventi.

Contractum ex lucta nervum Jacobus habebat;
Et nervo belli Martia lucta nocet.

Con-

Sultano Turcarum Imperatori, Ahemeth dicto, Ibrahimi Imperatoris filio.

O Lunæ ac Solis frater ! terræque marísque
Rex, Hæres Cœli, denique nate Jovis !
Verborum satis est ! quæ stulta Superbia finxit,
Armorum pariter nunc Ahemethe satis !
Inflictum sentin' vulnus, quô nuper es ictus ?
Plura tibi Cæsar vulnera, Réxque parant.
Cernin ? ut exeruit patientia læsa furorem ?
Haud, tibi qui bellum svasit, amicus erat.
Nónne parens Ibrahimus erat ? tu filius ergo
Nunc Isac fies ; victima namque cades.

Ad Sereniss: Regem Poloniarum Joannem cujus præsentissimâ ope, Obsidio Viennensis soluta est.

Séque suósque Tibi nova debet Virgo Vienna,
Quô dignatus eam nomine primus eras.
Virgo Vienna(inquam) Tibi debet séque suósq; ,
Quã Mahometh voluit Mæchus habere suam.
Atque actum jam pænè fuit, nisi pacta Joannes
Rescideras, ajens : non licet esse tuæ.
Rescideras porrò frameâ, nè pacta licerent,
Certè illic major nemo Joanne fuit !

Eidem Coronato Capiti Turcis inviso.

Baptistæ decollati memorabile festum ,
Sícut apud Turcos esse celebre solet.

Sic, ô Rex, cuperent festum duplicare Joannis,
Si caput in disco posset adesse Tuum.

Ad Sereniss. Principem Carolum Lotharingum, cujus potissimùm consiliô ac directione, Turcæ suis ad Viennam castris exuti sunt.

Consilio, Martíque Tuo debetur; & Armis
Fertur in acceptis à potiore Tuis:
Exutos Castris Thraces cessisse Viennâ,
Quos monte à Calvo primus adortus eras.
Non igitur posthàc Calvus mons ille vocandus,
Qui Duce Te, Palmas, Téque Satore tulit.

Serenissimo Principi Jacobo, Augusti Regis Poloniarum Augusto filio, eidem tunc bello magnanimè præsenti.

A teneris siquidem consvescere Thracibus ausis,
Quid porrò facies postea, cùm Vir eris?
Est Tibi Jacobo nomen; mera fulmina Thraces
Tunc metuant! quorum Tu Boanergus eris.

Illustrissimo ac Excellentiss. D. D. Rutgero S. R. I. Com. de Staremberg Viennensium adversùs Turcas eadem tempestate glorioso Assertori.

Virtutem laudare Tuam, si carmine vellem,
Heroô, ô Heros magnanime! esset opus.

Inte-

Interea leviore metrô curtam accipe laudem,
Te Turca haud potuit vincere; Curta sat est.

Illustrissimo ac Excellentiss: D: D. Casparo Kaplirz S. R. I. Comiti, ibidem Cæsareo Locumtenenti.

Quæ pro Cæsareis Heros Kaplirzius armis
Gesserit; ingenium vix capit ista meum.
Id vulgò tritum est: quæ Starembergius egit,
Consiliô ô Heros facta fuisse Tuô.

Horum duûm Generalium Virtus gemina.

Consilium prudens, nec non Industria fortis,
Quæ Tua sunt Cæsar tessera magne, duo.
In geminos partita Duces, duo fulmina belli,
Servârunt Cives Virgo Vienna tuos.
O dignos fastis Pugiles! Tua Cæsar uterque
Viva appellari tessera jure potest.

Cara Musthaphæ, grandi Vizirio, fugâ sibi suísque Viennâ consulenti.

Musthapha! quò raperis per devia & avia quæq;?
Tam subitò factus de Cane túne Lepus?
Ut timido lepori spes est fuga sola salutis,
Sic mora tardanti mors tibi certa fuit.
Non secus ac quidam cunctando restituit rem,
Jacturam rerum tu properando facis.

Hostiles laqueos quid te effugisse juvabit,
Si laqueus maneat te, capiátque domi?

De Kahlenberg, monte Viennensi, sic à calvitie Germanis dicto, ex quo nuper initium victoriæ contra Turcas.

Regius ùt quondam Vates, in Gelboa montes
Quò steriles fierent, vota precésque dedit;
Sic Vates contrà voveo, quò frugifer indè
Evadat collis, qui modò calvus erat.
Nec ros, nec pluviæ desint! quem Turca rigavit
Sangvine, consevit carnibus ipse suis.
Hìc Palmæ! hìc oleæ, paci natæ atque triumphis
Crescite! nè Calvum Virgo Vienna vocet.

De eodem monte Kahlenberg.

Quem Veteres dixere, suo de nomine Kahlberg,
Galgenberg, moriens Mustapha sensit eum.

Aliud de eodem.

Si Calvo nomen maneat, salvúmque perennet,
Turcarum à Calvis mons vocitandus erit.

Lectori.

Longior hìc solito, res deposcebat, ut essem,
Caussa Dei & Patriæ vix sinit esse brevem.

Typographo mendosè imprimenti.

Tam comptè ac promptè, quā tu, si scribere scires,
Nec fieres pretiô nec prece Scriba meus.

Si mea vis mandare typis, ceu velle videris,
Amandanda ſcias omnia menda procul.

Lingva mea Calamus Scribæ. pſ. 44. ad bibulum Scribulam.

Ceu atramentô vult tingi ſæpius ille,
Sic quoque vult tingi ſæpius illa mero.

Sequens diſtichon in ſomnis natum Anno 1683.

Dicere quisque poteſt de ſe crinitus Iopas,
Si nimiùm crinem diligo, crimen amo.

De admirabili vita Vener. P. Aloyſij La-Nuza è Soc: JESU Neapoli typis vulgata 1679.

Quid priùs hìc laudem, quid mirer, amérnve, ſequárve
Dicere fas non eſt, Lector amice, tibi.
A nuce nomen habet; proh! quàm mirabilis hæc Nux,
Ipſe, reor, ſimiles vix paradiſus habet.

* *La-Nuza Hiſp. Nux.*

Mundus multifariàm ſciſſus.

Unius in ternas orbis diviſio partes
Quot ſegmentorum fons & origo fuit!

Partibus innumeris modò tellus unica conſtat,
Quæ modò conſtabat partibus una tribus!

Leno & Lena.

Quamvìs lena nihil, neque lenæ leno dediſſet
Attamen his carò conſtitit illa caro.

Perquam tenaci.

Quod tua pauperibus largitur dextera munus,
Hoc tua nequaquam ſcit, puto, læva manus.

Maſculo non optimi exempli.

Maſcula cenſetur proprio cognomine virtus,
In te nequities maſcula, Parve datur.

Aliud in eundem.

Multa audes & mira patras, homo ſeſquipedalis,
Non tam parvus homo es, quam mihi pravus homo es.

Pſaltes Epigrammatarius ſacer.

Quot pſalmos ſcripſit, tot & ille poëmata ſcripſit
Quorum verſiculi ſunt epigramma breve.

Aſia Turcis habitata.

Sit licèt hæc orbis potior pars, párque duabus,
Attamen haud dici ſanior illa poteſt.
Non Aſiam quinimo Aſinam bene dixeris illam,
Latè adeò ruditas hìc, feritáſque patet.

Ad B. Stanislaum Kostka S. J. Deô Evcharisticô ab Angelo pastum.

Utri plùs sapuit? Tibi pingvis portio carnis?
An Christo ossiculum? plùs Tibi, Kostka, caro.
Kostka Polon. idem quod, ossiculum.

Brevia, & longa.

Hæc prolixa placent; lusus, convivia, somnus,
At contrà, preculæ, Concio, Missa, breves.

Cuidam sensato Magnati, septuagenariô majori.

Tertius ac decimus post secula lapsa bis octo;
In te annus pergit vivere; IUDICIUM.

De Alauda ad Aulicum.

Laudat alauda DEUM, dum sese tollit in altum,
Et quando ima petit laudat alauda DEUM.

Ad Illustrissimam Prosapiam Wchinskyanam.

Tres excussisti dentes de fauce lupina
Unde obtrectator, quod vereatur, habet.

Ad eandem, Musis æquè ac armis inclytam.

Dum quondam Cadmus jaceret nova semina, dentes,
Prodire innumeros vidit ad arma viros.

Ecce novos tibi Cadme viros ex dentibus ortos,
Ingens Parnassi militiæque decus!

De V. Vulneribus Christi.

Quinq; libri Moysis; totidē sunt vulnera Christi
Illi sunt Codex, hæc mihi Corpus erunt.
Illic scripta Dei digitô Lex plena timoris,
His plena affectûs Lex & amoris inest.

De SS. Cosma & Damiano.

Nobile par fratrū! quibus ars præclara medendi,
Et scopus, intentô numine, nostra salus.

Cuidam Dynastæ, ab ingenio & scientijs magno, de pretiosa ejusdem bibliotheca.

Næ Tua tot lectis longè instructissima libris,
Exprimit ingenium Bibliotheca tuum.

Illustriss: ac Excellentiss: D.D. Wratislao, S.R.I. Comiti à Sternberg, de Stella ejus gentilitia.

Lapsuras Christus prædixit ab æthere Stellas,
Noveris unde Tuam cœlitus esse datam.
Fulgeat ergo diu! dum rursus in astra feratur,
Cætera, de cœlo, sidera quando cadent.

Ad Poëtam, authori aggratulantem.

Ludere versiculis perquam solenne Poëtis,
Forsitan in votis esse Poëta velis?

Author suorum Epigrammatum Censor.

Nos numerus sumus & chartam consumere nati.
Censeo versiculos dicere posse meos.

Ad Illustrissimam Comitum de Thun familiam.

Facta Deo, non verba placent; prosapia Vestra
A factis nomen, Tevtone teste, trahit.

Christus inclinato capite emisit Spiritum.

Dum Caput inclinat JEsus, humeróque reponit,
Quod leve dicebat, nunc grave sentit onus.

Florimundus Remundus.

Mundos una duos Nomenclatura replevit,
Dignus, quem totus mundus uterque legat!

Illustrissimo D. D. Ferdinando Popel de Lobkovitz S. R. I. Comiti.

Tanta futura Tuæ fuit excellentia Gentis,
Vt generis posset non meminisse sui.
Mortalem idcirco quò sese crederet esse,
Adscivit *cineris* nomen inane sibi.

Popel *Bohemis idem, quod* Cinis.

Grandes Hispaniæ & Pares Franciæ.

Grandibus intersunt, de quo nihil ambigo parvi,
Et Paribus desunt nè dubitate, pares.

Baruncul o nonnihil fastuoso.

Quonam prodierint, docet Echo, Patre Barones,
Clamanti : Baro ! mox ea reddit : aro.

Saturnalia.

Pingvia festa Patris, quis Saturnalia dicat ?
Tam propè nemo esur quã prope nemo satur.

Avarus.

Quantò plùs opibus, Crœsi instar abundat avarus,
In miseros tantò parcior esse solet.

Lazarus Epuloni.

Me cœnâ si quando tuâ dignabere Codrum
Te Mecœnatem magnificabo meum.

Kalendæ 1. dies cujusque mensis.

Nulla Calendarum Græcis est cura vel usus,
Non secus ac si illis deforet una dies.

Zenonistæ.

Ex individuis constant (ais) omnia punctis,
Omne tulit punctum qui tibi puncta negat.

Scientia inflat 1. Cor. 8. Cuidam Eximio.

Inflat (ait) Paulus, ventosa scientia sæpe,
Non minùs ac vacuum spiritus inflat utrem.
Hunc vel acus lædat, tumor omnis abibit in auras
Luciferi casus proderit instar acûs.

Contra Assertores fati.

Sidus idem falsis Geminis, longè impare fatô ;
Fatum ergo fati stella utriusque fuit.

Medico optimo, licèt ætate juveni.

Hippocratem virtute refers vernantibus annis,
Ceu arti Medicæ imberbis Apollo præest.

S. Ursula cum undecim millibus VV.

Virginibus denis Cœlum æquiparavit JEsus,
Millibus undenis æquiparare potest.

De Illustriss: & cumprimis opulenta Czerniniorum Gente de Chudenicz in Bohemia.

Czerninijs nomē Chudenicz, quî congruat istud!
Tanta quibus Cœlô copia fluxit opum?
At bene Czerninios Gens olim nostra vocavit,
Cùm priscâ emineat nobilitate Genus.
Czerninios (inquam) sic à nigredine dictos,
Nempe vetustatem in stemmate fumus olet.

* Chudenicz à pauperie, Czernin verò à nigredine Bohemis dictum.

Admodum hebeti.

Ingenij sedes, ubi sit scitaris; habeto:
Ingenio nusquam te penès esse locum.

Socer Genero à suis degeneri.

Proh! quantùm à proavis distas & stemate toto;
Nemo magìs potuit degener esse gener.
Degener à tota majorum stirpe tuorum,
Ambigo posse magìs degenerare genus.

Jucunda Poesis.

Pænè omnes, tandem generant fastidia Musæ,
Forsitan id minimè læta Poesis habet.

Illust: Thalenbergiorum familiæ citra fastum gloriosæ.

Gloria confertur monti, submissio valli,
Vestra, quod est rarum, jungit utrumq; Domus.
* *Thalmberg* Germanis idem ferè q. *quod vallis & mons.*

Sapienti in Juventute canescenti.

Cani unt sensus hominis; tibi gratulor; istam
Tam citò canitiem sensibus esse tuis.

Cuidam Pulcheriæ minùs sensatæ.

Quinque licèt sensus habeas Pulcheria; quinque
Inter sensatas non licet esse tibi.

De Thabor urbe Bohemiæ, à Cellarijs etiam celebri, Tevtonis judicium.

Tam bona vina tibi si sunt, Cellaria quàm sunt,
Est in eo Thabor figere castra, bonum.

Piratæ & Banditæ.

Illi sunt monstris similes, spectrísque marinis,
Hi similes brutis indomitísque feris.

De

De Blaterone quodam.

Non auras ſolùm, neque ſolas verberat aures,
Os ſimul & lingvam verberat ille ſuam.
Si non ſufficiat talem reprehendere verbô
Verbere mulctandus verbero talis erit.

Peccatori de pretio lachrymæ: ſuper illud Pſ. 67. Pluviam voluntariam ſegregabit Deus.

Stillam vel minimam tanti Deus æſtimat in te,
Quamlibet ut ſummas cenſeat inter opes.

Deſcriptioni immortuo.

Non nemo è nobis animam, dum ſcriberet, egit:
Aptè inſcripſiſſet bis, *citò*, terque *citò*.

Aliud de eodem.

Quotquot erant ab eo mandata elementa papyro
Vix aliud fuerint quàm mera *puncta, vale*.

Sitis Chriſti in Cruce.

Quem JESUS à ſe calicem tranſire rogabat
Hunc avido moriens ore bibendo, ſitit.

Fiſcus & Viſcus.

A Viſco fiſcum, à fiſco diſtingvito Viſcum,
Hôc capiuntur aves, hôc rapiuntur opes.

Eximiæ Virtutis Viro.

Quæ ſolet in multis virtus peregrina videri,
Cenſetur meritò te penès eſſe domi.

Judici, Judæo adversùs Christianum faventi.

Nomine duntaxat nudo es, non munere, Judex:
Vltima dematur syllaba; dic, quid eris.

Celeri Anagrammatario.

Appositè nôsti verborum vertere sensum,
Quale placet munus? mox mihi, numus, ais.

Ad Slanam Urbem Bohemiæ, Ditionis Martinicziana à salinis sic dictam A. 1684.

A Sale nomen habes, cujus licèt esse feraci,
Slana! tuus Dominus plus salis unus habet.

Triangulum cordis SSS. Triados domicilium.

Parvula in humano structura triangula Corde
Est uni ac Trino jure dicanda Deo:

Deformis Mater formosi filij.

Formosam genuit Mater turpissima prolem,
Quomodo Narcissum sordida terra parit.

Poëta de Salio.

A pedibus nomen magna cum laude mereris,
Quos laudet Salius quòsque Poëta probet.

Diviti.

Qualiter affectum reperit te proximus in se,
Talem nè dubites experiere Deum.

De

De Gentilitijs Prosapiæ Dietrichsteiniana Cultris.

Fert clypeô geminos stirps Ditrichsteinia Cultros,
Pro defendendo Cæsare, próque DEO,

De ijsdem.

Una satìs fuerit Cultris vagina duobus,
Quam tensa ùt pellis cœlitus astra parant.

Vegeto Senecioni.

Præproperè passus glomeras; vel passibus æquis,
Ad metam venies, cras hodiéve tuam.

Dives ùt plurimùm mortem timens.

Nemo magis mortem metuit, quàm dives avarus,
Instar enim furis mors venit atque rapit.

Malum Protoplastæ.

Nullus in inferno, qui nunc est, Tantalus esset,
Tantalus esse olim si voluisset Adam.

Primum Christi miraculum conversio aquæ in vinum.

Prædicat in Christo fusè miracula Tevto,
Quæ gesta in Cana sunt Galilææ tua.
O signum signorum (inquit) jure ordine primum;
Nullum tam liquidum támque suave lego.

Zoilo.

Quò placeas paucis, perpaucis Zoile parcis,
Charus eris paucis Zoile, parce tibi.

Illust-

Illuſtriſſ: D. D. Ferd. S. R. I. Comiti de Salmis de glorioſis Salmiorum victoriis.

Quã bene de Salmis, gens veſtra antiquitus audit,
Tam bene de palmis dicier illa poteſt.

Erat ei pretioſus (intellige Centurioni) Servus. Lucæ 7.

Carus erat Domino Servus, quia charus eidem,
Fecit ei pretium Centurionis amor.
Centurio Dominos centum ſuperavit is unus,
Rarò ſervus erit tam pretioſus Hero.

Cuidam Idiotæ Oxonienſi.

A bove Tevtonico, Græcóque agnomen Aſello,
Presbyteri ùt par eſt Oxonienſis habes.

Chriſtus hyeme natus.

Hiberno natum cùm conſtet tempore JEſum,
Eheu! tunc noſter quomodo frixit Amor!

Optimi Parentis, optimo filio B. à K.

Qui genium moréſque Patris ſortitus es; ô quàm
Hæres magnarum Tu mihi dives opum!

Raderus, interpres Martialis perquam ingenioſus.

Authore, interpres, pænè ingenioſior ipſo eſt,
Ille animam, corpus verſibus iſte dedit.

Chri-

Christophorus R. oppidò hebes.

Dum Solymas JEsum, quondam deferret asellus,
Hujus Christophori nomine dignus erat.

Præfectò Spiritûs magni exempli.

Virtutum radijs, ferventéque Spiritu, ùt alis,
Utrumque in nobis spiritualis alis.

Cuidam Helluoni in Germania, vulgò Jacob.

Nomen inane geris Patriarchæ nomine Jacob.
Quin potiùs Jacob non malè frater eris.
Jacob frater, Esau.

S. Ignatius de Loyola tormenti ictu ad frugem revocatur.

Aptior ut fieret posthac Ignatius astris,
Tormentô duplici numen habebat opus.

Angelus ad stivam, S. Isidori vicarius.

Quando sacras orat supplex Isidorus ad aras,
Angelus, ejusdem munere functus, arat.
Hic versando solum, conversando alter in astris,
Mutavêre suas hac ratione vices.

Accusator fratrum diabolus Apoc: 12.

Fratrum accusator Sathan, antiquitus audit,
Quis posthac frater dæmonis esse velit?

Unde bella?

Prælia quæ patimur ſceleris ſunt præmia noſtri,
Avertent Superi prælia, tolle ſcelus.

S. Laurentius & S. Stephanus.


Nomine præfert laurum Laurentius ipsô,
Quô pariter Stephanus fert Stephanóma ſibi.

Juvenum Advocatus apud ſenes.

Quàm ſæpe immeritò juvenilis vapulat ætas,
A ſenibus! vitium quod ſolet eſſe ſenum.
Da veniam jam non juveni, veneranda ſenectus!
Num vel ſtertendo non licet eſſe ſeni?
Naſcitur ingenium, non fit creſcentibus annis,
Canities illi vel juveni eſſe poteſt.
An non Muſarum DEus eſt imberbis Apollo?
Quæ non laus Chriſto cùm duodennis erat?
Objicis; at quænam juveni experientia rerum?
Hanc ſupplere nimis cætera dona ſolent,
Illico ad hanc vocem blandiri viſa Senectus,
Si doni eſt (inquit) ſpes mihi, cuncta probo

Epilogus hujus Centuriæ.

Quamvis res alias ſal à putredine ſervet,
Deſtruet inſulſos ſalſior hoſce ſales.



CEN.



CENTURIA VIII.

DEO ter Optimo Maximóque.

A Jove principiũ! Deus optime Maxime tecũ
Ordior! esse velis O mega & Alpha meum.

Ad S. D. N. Innocentium XI. de pedum osculo.

A Capite ordiri mos est! hinc ordior abs Te,
Sub Jove qui summum crederis esse Caput.
Ordiri à Capitis non ausus vertice summo,
Ordior à pedibus, si patiare, Tuis.
Annuis? ecce pedes flecto; pedibúsque beatis
Oscula do, labijs non sinè labe meis.

De die Judicij ad peccatorem.

Venturus cùm sit Judex in nubibus olim,
Mille timenda mihi fulmina; mille tibi.

Ad Lenonem, cujus gratiâ Ignatius, rigente brumâ sese stagno collotenus immersit.

Immergit sese gelidis Ignatius undis
Te levet ut cœnô, sus lutulente, tuo.

Nè

Nè tepidum dicas quô sic exarsit, amorem,
Dum tuus his fieret frigidus ignis aquis.

Societas JEsu ex primis 10. Patribus coaluit.

O, si postponas uni mox unio fiet,
Hanc primi ex Socijs constituere decem.

Celsissimo ac Reverendiss. Principi Joanni Friderico de Waldstein Archi-Episcopo Pragensi.

Præcelsum quiddam, ô Princeps, cœlestéq; spiras;
Vnde Tibi cultus tantus, amórque Tui.
Plurima virtutum decorúmque modestia velat,
Quô se ipsâ evadat maxima fama, minor.
Scilicet hæc virtus est vestræ propria Genti,
Vt famam meritis exsuperare velit.

Eidem Celsissimo quà perpetuo Universitatis ibidem Cancellario.

Ingenio expingis musas, virtutibus ornas,
Exemplis svades, auspiciisque foves.

Cuidam Dynastæ in suos parum miti.

Turgida mulgentur quò sæpius ubera vaccæ,
Lactis eò (nescis!) illa datura minùs.

Religiosorum ordinum sugillatori.

Vix Polycarpe tuas vox ORDO vellicat aures,
Cùm vox in mentem mox tibi Rodo, venit.

Muli-

Mulier ſuapte naturâ doloſa.

Quantæ ſit fraudis mulier, lex una docebit,
Quando furit, ride; ridet at illa, fure.

Pictori facilè principi.

Picturis ea vita tuis inducitur abs te,
Quæ nequeat tecum dum moriere, mori.

Locutulejo.

Quæ fuit in votis Pſaltæ, cuſtodia lingvæ,
Hæc eadem votis mille petenda tibi.

Libello ſuo, à potiori noctu per inſomnia nato.

Obſcuris te nè dubita natalibus ortum,
Quò poni obſcuro te patiare locô.

Alano idiotæ.

Sal nunquam non eſt oculis inimicus & hoſtis,
Sic oculos ſapiens lædit, Alane, tuos.

Cuidam Dominationi ſequioris ſexûs.

Prima parens hominum, Conjux & filia coſtæ,
Dama * putas Adam ex nomine, facta fuit?
* Dama Gall. Domina.

Ill^mæ fratrum triadi de W. tenerè ſe complectentium.

Tres numerô Charites, totidē ſimulachra dearū,
Veſtrûm eſſent, ſineret ſexus, imago trium.

Opti-

Optimo ſenecioni.

Primævos in te video, virtute Bohemos;
Mirus enim Candor ſimplicitásque tibi.

S. Franc: Borgia, ob populi concurſum primam DEO hoſtiam ſub dio litare cogitur.

Compellunt turbæ, navim conſcendere JESUM,
Franciſcum cogit turba litare foris.
Non tulit ardorem Franciſci anguſtia templi,
Hinc ut eum exciperent aſtra, neceſſe fuit.

Creditor Debitori.

Vnde (rogas ex me) ſit dicta moneta Latinis?
A verbo moneo noſtra moneta venit.

Quæſtori Amico ſuo Gen. D. L. H.

Innumeros contra quæſturas audio queſtus,
Quæſturam ex illis quæret, Amice, DEUS.

Filijs terræ.

Scinditur in partes, atque intima viſcera tellus.
Orcus at in centro dicitur eſſe ſitus.

Auguſtino W. exiguo Theologo.

Nè ſpera à cœlo genium, qui è littore dicat:
Huc volo transfuſas æquoris hujus aquas.

Pro-

Problema: Síntne cæli ſolidi, an liquidi?

Pro liquidis, Piſces, & Cancer, & Amphora certant,
Pro ſolidis pugnant cætera ſigna novem.

Patientiæ virtus.

Scobe alitur magnes; duris Patientia virtus;
Ille trahit ferrum, plùs facit iſta; domat.

Societas JEſu perſecutione creſcet, effato Sancti Borgiæ.

Multa pati JESU ſocios, celeberrima res eſt,
At! ſuâ juglandem verbera nonne juvant?

Ad Chriſtum alapis percuſſum.

Lævâ percuſsâ ſvades opponere dextram:
O quoties fuit hæc lex ſubeunda Tibi!

Craſſus Rom. Orator in roſtris mortuus.

Et dixi, & vixi; potuiſſet dicere Craſſus,
Qui cùm deſineret vivere, dixit adhuc.

Furis Europæi diſtichon de ſex diphthongis.

Tollimus Evropæ, multa auri præmia fures
At ſolet Harpyjas hei mihi! pœna ſequi.

Amico ſuorum immemori.

χαῖρε ſuum potuit ſi dicere pſittacus olim
Tu mihi Charorum maxime χαῖρε negas?

De

De Gentilitia Noſtitziorum Anchora.

Perſius inmetris ſpem macrā aliquando vocavit,
Spes nobis pingves Anchora veſtra facit.

Prodigo famenti.

Prodigijs clares! intellige! prodigus audis
Et licèt eſſe velis prodigus, eſſe nequis.
Surge! quouſque famem patiere ſubulce caninā?
Surge! Patri ſupplex, experiere Patrem.
Surrexit ſupplexque Patri, mox veſte potitus
Diſcubuit: Patri charus,ùt ante,ſuo.
O ſuperi! portentum ingens! ô Patris amorem!
Prodige nate Patris! prodigioſe Pater!

De Condo-promo, & Promo-condo.

Promit hic & condit,contrà alter condita promit,
Vt placet hic famulis ſic placet alter Heris.

Petrus Caniſius Germaniæ Apoſtolus.

Adversùs fures,prædone , atque latrones
Latrat Caniſius, jùs habet ille Canis.

Piſces ſignum cæleſte.

Eridanus quondam Latiô ſublatus in aſtra,
Invexit piſces primus in illa ſuos.

R. P. Guilielmo Stanihurſto, præclaro Libellorum Scriptori.

Vulgatis abs te deſpectâ mole libellis
Si non farcitur bibliotheca, nitet.

De

De Annalibus.

Annales veterum, quosdam reor esse canales,
De quibus ad Natos patria gesta fluant.

Laudari, anagr: antiquò, adulari.

Si quis adulari memet sibi dixerit ausim
Dicere, laudari debuit ille minùs.

Conjugium unde dictum?

Non tam Conjugio nomen conjunctio fecit,
Quàm grave, quod Conjux portat uterq; jugũ

Omnes quæ sua sunt quærunt. ad Philip. 2.

En à se Deus est; modò quilibet incipit à se,
Quæ tamen aseitas non facit esse Deum.

Lucas & Cleophas.

Hi duo discipuli non agnovêre Magistrum;
Tam sibi diversus quàm peregrinus erat!

Senectus grave onus.

In terram plerumque senes sunt Corpore proni,
Secum quisque senum se grave portat onus.

Magnatum authoritas.

Omnia Magnatum propè verba, oracula fiunt,
Et quamvis careant pondere, pondus habent.

De S. Paulo.

Paulus (ùt ajebat) fuit omnibus omnia factus,
Figmentum Protheus non fuit ergo merum.

De Sulcis in genis S. Petri.

Gutta cavat lapidem : modò petrā gutta cavavit,
Non novi hunc hominem diceret ipse Petrus.

S. Petrus & S. Paulus individuum par.

Nunquam non Petro comes it, (mirabile !)Paul⁹,
Fecit conjugium suave, hymenæus Amor.

Etiam S. Catharina & S. Barbara individuæ.

Nunquam non comes it Catharinæ Barbara, mirū
Rivales, sponsi sunt in amore sui.

Opulento.

Crescit amor numi, quantùm ipsa pecunia crescit
Si verum est ; numi proh ! tibi quantus amor !

Eidem ùt minùs sensato.

Census adest, ubi sensus adest plerumque; vicissim
Non ubi sensus abest, mox quoq; census abest.

Senecioni musto delectari solito.

Dum nova vina bibis, veteres, ea mittis in utres,
Quidni rupturam diluviúmque times ?

Mors insatiabilis.

Ossea mors quamvis hominum centeña vorârit
Millia, non ideo est pingvior, atque satur.
Esurit illa magis, dum devoret omnia plenè,
Ac tandem morti proxima, cuncta vomat.

Stem.

Stemmatum interitus.

Nobilitas generis fumosa est, quando senescit,
Et veluti fumus dum petit alta perit.

Ambrosio Calepino.

Quando ignoram⁹, Calepinũ exposcimus omnes,
At Calepine tibi tu Calepinus eras.

Cuidam obærato solutionem necquicquam promittenti.

Expungenda tibi cùm nomina plurima restent,
Tu pro nominibus reddere verba soles.

Crux Christi Currûs mysticus.

Crux Christi est instar currûs, instárque rotarum
Sunt quatuor Clavi, bajulus, instar equi.

Pictori in arte Magistro.

Tam scitè ac propriè personas fingere nôsti,
Quòd personatas dicere nemo velit.

Luminare noctis.

Fratris ob occasum contestatura dolorem
Induitur pullam vespere Luna togam.

Ad Illustriss: ac Excellentiss: D. D. Franciscum de Wrbna S. R. I. Comitẽ, Appellationum in Regno Bohemiæ Præsidem, de hoc admirando tribunali.

Non appellâsset, puto, Paulus Cæsaris Aulam,

Regnâsset, Faustô Præside, tale forum.

In Ascensione Christi.

Redditus est tandem Cœlo, Cœli unio Christus,
Ferreus ac impar annulus, orbis erat.

Beati pauperes Spiritu Matth. 5.

Christus ait Cœlos à paupertate parari,
Tartara divitijs quis dubitabit emi?

Quænam longissima nox?

Illa inter longas nox est longissima noctes,
Quam nullum excipiet mane, nec ulla dies.

Lectori.

Ut pauci sunt electi, multíque vocati,
Sic bona pauca leges hìc metra, multa mala.

Didaco prælaturæ Candidato, eam simulanter pertimescenti.

Spero, pro timeo, legimus dixisse Maronem,
Tu contrà speras Didace, quando times.

Laus propria & adulatoris.

Dicimus effatô veteri: laus propria sordet,
Nunquid olere magis laus aliena solet?

Creavit Deus Cœlum & terram.

Quis Cœlum & terram dubitaverit esse gemellos
Unô cum partu fudit utrumque Deus?

Xave-

Xaverianum ſatìs eſt Domine, ſatìs eſt.

Ah ſatis! ah ſatis eſt! ſatiatus amoribus inquit,
Jejunè dictum quis putet eſſe ſatìs?

Aliud.

Franciſcus potuit ſatìs hic vixiſſe videri,
Nî ſatis hoc necdum, diceret eſſe, ſatìs.

Illuſtriſſimo D. D. Innocentio S. R. I. Comiti de Bubna.

Moribus innocuis reſpondet amabile nomen,
Bubna! licèt reſonent tympana, bile cares.
* *Bubna* Bohemis idem ferè quòd *tympana.*

Doctori ſtaturâ puſillo.

Grandius eſſe ſalis te quoddam dixero granum,
Nam doctos, terræ dicimus eſſe ſalem.

Aliud reſpondenti.

Dum cepas oleo, tu nobis allia ructas,
Non ſapiunt ori fercula noſtra tuo.

Allium, cepa, porrum. &c.

Allia cum cepis, porrum, naſturtia, Caules,
Inflant, inflammant, & malè ſemper olent.

Endivia.

Inter lactucas virides Endivia præſtat,
Quò meliùs valeas, ſæpe fit, indè via.

Brassica.

Brassica flos olerum, veterum medicina vocatur;
Svaserit hoc ægris non malè Paulus olus.

Asparagus.

Asparagis fortasse frequens aspersio nomen
Fecerit, ut, quod amant, sæpe rigare velis.

De Morte Alexandri M.

Unus Alexandro, cùm non suffecerit orbis,
Alter ei tandem fatô adeundus erat.

De Cleopatræ luxu.

Dum pretium Regni potu glutivit in uno,
Regina in Regno desijt esse suo.

Ad Virginem Immaculatam.

Virgo! venenatum pedibus quem proteris angvē
Hunc etiam plantis subjice Virgo meis!

De Eminentissimo PP. purpuratorum Collegio.

Jure Sacerdotum genus id Regale vocandum,
In quo Regalis purpura, jure rubet.

Hebdomada sancta.

Proh pudor! hebdomadis è quinquaginta duabus
Unica duntaxat sancta vocanda fuit?

Anglia.

Romanam complexa fidem dum credidit olim
Anglia, quod ferme est Angelus, Anglus erat.

Re-

Reſpublica.

Cum titulo plerumque ſuo Reſpublica tandem
Spes & Res perdit, publica verò manet.

Crux dupla inſigne Regni Hungariæ.

Duplex Pannoniæ Crux eſt! myſteria quanta!
Quò maneat Chriſto concrucifixa ſuo.

Nisì efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum Matth: 18.

Infantes quaſi nunc genitos nos eſſe neceſſe eſt,
Inter Cœlicolas ſi lubet eſſe ſenes.
* Viginti quatuor ſeniores Apoc. 4.

Haud veraci.

Næ tu ad Cretenſes mihi pertinuiſſe videris,
Aut illi ad patriam pertinuêre tuam.

Ad S. Franciſcum Xaverium (qui oraculô Pontificiô) nihil minùs à magnis geſſis Apoſtolis.

Si de corporibus peterent nova Corpora mentes,
In Te Pauli animam, Dive, migrâſſe putem.

Noë.

In medijs ſervatus aquis, merſô orbe Noemus,
Naufragium in vino poſtea paſſus erat.

Bibo quispiam.

Pluribus exhaustis hesternâ nocte cululllis,
Fluxa nimis (dixit) gaudia mundus habet.

Fortuna.

Dicitur apprimè fortuna volubilis esse,
Vnde etiam nummus sphæricus esse solet.

Agrestia nomina virorum illustrium.

Pisones, Fabii, Cicerones, Lentulus, unde?
A lente, à pisis, à cicere, atque fabis.

Imaginem Christi patientis depingenti.

Indiget, ah! Jesu patientis imago colore:
Utpote, cuî species nec decor ullus inest.

Imberbis, Deo supplex.

Nec pilus in terram, sinè Te, Deus, excidit unus.
Quî cadat in mentum Te sinè barba meum?

Neo-Conjuges non infimæ sortis A. 1670.
Pragæ, primo nuptiarum manè reperti exanimes.

Utrùm Connubij fœdus, subsistat utrinque,
Legitimo sisti debet uterque foro.

Mures Fures.

Non secus ac fures, spoliant granaria mures,
Mus & fur laqueô dignus uterque suô.

Tuto-

Tutori

Tangere pupillum, pupillam est tangere Christi,
Noli me (Tutor) tangere, Christus ait.

Manum suam aperuit inopi & palmas suas extendit ad Pauperem. Proverb. 31.

Unâ quando manu dives largitur egenti,
Ambabus, magnô fœnore, lucra capit.

Unus Deus, tres personæ. Una anima, tres potentiæ.

Mens una ac simplex, mentisq; potentia triplex,
Te trinum ac unum nos docuêre Deum.

Vinum, mel, oleum, quale optimum?

In medio vinum præstat; mel præstat in imo,
Præstat at in summo succus, oliva, tuus.

Quidnam sint nundinæ.

De rerum certant pretio mercator & emptor,
Ille quidem carò cogitat, iste levi.

De lusu taxillorum ad Magnates.


Dispare taxilli funguntur munere, quando
Luditur, à lusu conditione pares.

Calvo.

Læve tibi caput est, speculô prope lævius ipsô,
Est etiam cùm sit depile, Calve, leve.

Quid est veritas? Joan. 19. Anagrammaticè: Est vir qui adest *authore quodam è Soc: JESU.*

Quod tacuit Jesus, Socius modò prodidit ejus,
De quo (inquit) fuerat quæstio, præsto fuit.



CENTURIA IX.

Deo Optimo Maximo.

Maxim' haud esses, nisi m' Deus optim' esses;
Optimus esto mihi, Maximus esto Tibi!

Serenissimo Archiduci Josepho.

Nemo Tuum Josephe potest depromere nomen,
Quin Tibi cogatur dicere, & hostis, Jo!

Ad eundem Sereniss: de hoc Augusto Josephi nomine.

Dicitur accrescens Joseph! Tibi fama, triumphi,
Nunquam desistent crescere, cresce Deo!

Cresce

Cresce Tuis, & cresce Tibi, citò cresce diúque!
Creverit ut nemo major in orbe gigas.
Cresce annis, & cresce armis, & cresce triumphis,
O Incrementum sub Jove, grande Jovis!

Democratia.

Imperium imperiô non est vulgarius istô,
Utpote cuî desunt virga, Corona, Caput,

Aristocratia.

Id genus imperij constat primoribus, atque
Principe, sic animâ & corpore, constat homo.

Monarchia.

Quod Deus in cælo, quod sol formosus in astris,
Hoc est in terris quísque Monarcha suis.

De hoc triplici Imperio.

Æri confertur primum, argentóque secundum.
Auro posterius; jure proinde prius.

Reverendissimo ac Celsiss: Principi Joanni de Gois, Episcopo Gurcensi.

Plurima Te Princeps ornant, Sapientia palmam
Præripit & Virtus; lis gravis, utra magis?
His peregrinarum sociata peritia rerum
Admiranda foris, deveneranda domi.
Cætera Tu Princeps ornas, decorúmq; Tuorum,
Tu Tibi par fueris gloria, párque decus!

Sabbas S. Abbas.

Re ſiquidem ſanctus fuit Abbas nomine Sabbas,
Sabbas divino numine dictus erat.

Incendij Trojani fax.

Aſſignant Helenæ plerique incendia Trojæ,
Lenæ non Helenæ plurima culpa fuit.

Conjugum imparitas.

Diſparium parium, quænam concordia? diſcors;
Si pariant, parient talia monſtra pares.

Epigrammatarÿs.

Si quæ ſunt tribuenda ſacris inſignia muſis,
Non malè noſtrati dandus echinus erit.

Sanctæ cuidam animæ.

Si cerni poſſet virtutum forma tuarum,
O quanto in pretio, quanto in amore fores!
Spectat eas cœlum, captúmque decoris amore,
Gaudet in his cœlum ſe reperiſſe ſuum.

Tria Superiorum S.

Si nimiùm ſanus, ſapiens, ſanctúsque ſit Abbas,
Obtinget Monacho de tribus hiſce nihil.

Loqui ùt plurimùm nocet.

Multa licèt ſentire licet, depromere pauca
Expedit; imprudens nè videare, vide.

Illu-

Illustriss: ac Excellentiss: D. D. Francisco Wchinsky S. R. I. Comiti, supremo in Regno Bohemiæ Cancellario.

Ad Neomagenæ tractandum fœdera Pacis,
Nuper ab Augusto Cæsare missus eras.
Fortiter hæc urgenda fuit, sed suaviter æquè;
Virtus, ingenium præstitit ambo Tuum.
Scilicet, ùt dentes penetrandi robore pollent,
Sic scabrum quidvis reddere læve solent.
* Allusio ad gentilitios ex lupo dentes.

Ad R. P. Jacobum Balde, insignem ævo nostrô Poëtam, à S. D. N. laureâ & numismate aureô donatum.

Quàm Tua Balde mihi placeat prolixa Poesis,
Vix satis id poterit promere nostra brevis.
Illa Caput laurô, pectúsque illustrius aurô
Reddidit, ut de Te nuncia fama tulit.
Deveneror Capitis laurum, tum pectoris aurum;
At Caput inprimis æstimo, pectus amo.

Serio-joculari.

Et nôsti tractare jocos & seria nôsti,
Cum gravitate levis, cum levitate gravis.

Jacobo R. tenuioris fortunæ.

Quid nisi Jacobo dextram, lævámque Joanni,
Matrem censendum est expetijsse piam!

Opto

Opto tibi pariter dextram Jacobe; sed illam,
De qua, quid faciat, nîl sua læva sciat.

Hypocritæ cuidam, Kalendis Maji.

Mos habet ut primis Majô redeunte Calendis,
Vi depacta arbos frondeat ante domos.
Hæc siquidem radice caret, cras arida fiet,
Ac tandem flammæ victima, pulvis erit.
Præ foribus defixa tuis stat silvula talis,
Indiciô, lignum quale sit intus, herus.

Frivolo Amico.

Frigidus & calidus spiratur ùt halitus ore,
Sic amor ambiguus non minùs esse solet.
Tu calidum dicis, gelidum quem sentit Amicus,
Aut certè nimiùm frigidus ignis, erit.

Virgo cælestis.

Virgo inter Libram media est intérque Leonem,
Hinc ut sit Virgo fortis, & inde gravis.

Bos Domini.

Bos meus (ad Dominũ veniens, ità rusticus inquit)
Occidit vestrum (parcite quæso,) bovem.
Cuî Dominus: reddes alium; tum rusticus illi,
Vester (ait) vester stravit (ùt erro!) meum.
Hoc totô est (infert Dominus) mi rustice cœlô
Diversum, Domini bos nequit esse tuus.

Illu-

Illustrissimæ prosapiæ de Liechtenstein.

Æthereis penè est suppar Gens vestra pyropis,
Tanta illi Gemmæ copia lucis inest.

Conjugium Germanis pretiosum.

Tevtonicæ genti, Conjux pretiosus uterque;
Thesaurum * Uxorem, vir vocat, illa virum.
* mein Schatz.

De nobilissimo quodam conjugio.

Digna virô Conjux! etiam vir conjuge dignus!
Iste suæ par est Conjugi, & illa suo.
Moribus, ingeniô, virtutéque certat uterque
Vincitur, & meritô vincit, uterque pari.

Illustriss: D. D. Maximiliano Lazansky, D. B. S. R. I. Comiti, in Regno Bohemiæ Vice-Cancellario.

Est Tibi sermonis, vultûs, & gratia morum:
Uno in Te Charites tres reperêre locum.

De omnibus bene merito.

Est quiddam cœleste Tibi velle omnibus æquè,
Quà benedicendo quà faciendo bene.

Mahomet polygamiæ apud suos author, in Urbe Mecha sepultus.

Qua Mahometh jacet urbe cinis, bene Mecha vocatur,
Talites à mœcho jure vocanda fuit.

Phi-

Philosopho, qui se neglecto cursum cœli considerat.

Astra per angustam qui spectas sæpe dioptram,
Disce per angustam sic adeunda viam.

Nola in Campania, cuidam Bacchanalistæ.

Dicta à campanis peperit Campania Nolam,
Nulla ferè nolâ gens modò in orbe caret.

Unde Cardinales dicti?

His in Præsulibus, non frustra à cardine dictis,
Versatur, Papâ judice, cardo rei.

Ad Illustrissimam familiam de Kayserstein.

Cæsareas inter gemmas, gens vestra nitescit,
Si vestri interpres nominis esse volo.

Classicum Hungariæ.

O mihi finitimæ gentes! jam proximus ardet
Ucalegon! damnô, vestra cavete, meô.
Cernitis? ùt vestris instent incendia tectis?
Vos ea, dum sensim conflagro, certa manent.
Sistite grassantem flammam, nè gliscere pergat,
Posteà Danubiô vix cohibenda meô!
Quidnî affertis aquas? (populos intelligo multos)
Dum tota in lachrymis fio favilla meis?

Cui congrua laurus.

Non procul à proprio descendunt stipite poma,
Si stipes non est editiore loco.

Militi in fronte saucio.

Armigero fateor pulchra est à fronte cicatrix,
Si non respectus, vulneris ansa fuit.

Adversùs Deum præscriptio nulla.

Adversùs Numen nulla est præscriptio Juris,
Attamen in nostro sæpe fit illa foro.
At, væ Causidicis, quos hæc præscriptio tangit,
Appellaturum nè dubitate Deum!
Ipse supremus erit (cui pareat omne tribunal)
Arbiter, & Judex summus & æquus erit,

Fœmina viro mollior.

Mollior est mulier quàm vir, sic dicta vel inde;
Quamvìs ex osse hæc facta sit, ille luto.

Astrologo cujus specula parum munda.

Quà cœlos spectare soles, graveôlentia spirat,
Séne illic stellæ purificare solent?

Reverendissimo Didaco de Can-Vero, Abbati Monserratensi.

Sunt duo Jacobi numerô, majórque minórque,
Tu Te ipsô major scis fieri, atque minor.

* Dida-

* Didacus idem quod Jacobus.

Quales erga Deum homines, talis erga homines DEUS.

Germani Fratres Jacobus hic, ille Joannes,
Per matrem ſedes expetiêre duas.
At contrà ad Patrem Jesus utrumque remiſit,
Scit Deus ecce vicem reddere, párque pari.

Joanni Baptiſtæ R. in vincula conjecto.

Nomen inane geris magni Baptiſta Joannis,
Nil aliud, præter vincla, Joannis habes.

S. Petrus inverſo capite ſuſpenditur.

Plantas Petre Tuas geſtis imponere cœlo,
De reliquo teris vis ſupereſſe Caput.

S. Paulus capite minutus.

Saulus erat quondam, de Saulo poſtea Pauſus,
De Paulo tandem Paululus, enſis ope.

I. N. R. I.

Quod ſcripſi, ſcripſi; indelibilis ecce character!
Veriùs aut meliùs ſcripſit in orbe nihil.

De Serpente & Eva.

Dum Serpens nequam, nequaquā, dixit ad Evam.
Illa fuit ſequior, nequior ille fuit.
At poſtquàm Eva virum pomô decepit Adamum,
Eva virô ſequior, nequior angve fuit.

Mons

Momo alios rodenti.

Non ità vox Momus, ceu altera ſyllaba vocis,
Expingit mores, invide mome, tuos.

Beelzebub.

Belzebub, haud cuiquam magis eſt, quàm muſca, timendus,
Quamvis muſcarum dicitur eſſe Deus.

S. Franciſcus de Paula, pallio pro navigio uſus.

Strata chlamys pontô, ſupplevit munia cymbæ,
Ecquis nauclerus talia vela dedit?
Fecit id Elias, fecit Franciſcus id ipſum,
Poſt jejunia tot factus uterque levis.

Salomonis incerta ſalus.

Neſcit homo, (dixit Salomon) utrùm ſit amore,
Aut odiô dignus; nec modò ſcitur adhuc.

S. Georgio Equiti cujus honori author Poëma dicavit.

Si Tibi non placuit, quâ ſum modulatus, avena;
Sat mihi ſi vel equo ſit placitura Tuo.

Stylus mundi.

Maſſica principiô Mundus meliora propinat,
Sub finem ſolitus deteriora dare.

Sty-

Stylus Christi.

Christus principiô plerumque propinat amara,
Sub finem solitus dulcia mella dare.

Stella Magorum super Bethlehem disparet.

Extingvit stellas propior præsentia solis,
Sic visô in Bethlem Sole, Cometa fugit.

A Pentecoste magni plerumque æstus.

Excipiunt Pentecosten plerumque calores,
Sacri nos memores Pnevmatis esse volunt.

Jam tertiò anum in Conjugem ducenti.

Plùs patrimonia tu quàm Matri-monia quæris,
Nolo (inquis) Matrẽ in Conjuge, malo Patrẽ.

Jurisconsulto minùs perito.

Jurisconsultis solet esse peritia juris,
Par, quamvìs censu dispare, penè cocis.

De Urbe & Joanne Rokyczana.

Urbs Rokycana meos, ùt jure meretur amores,
Sic odium meruit vir Rokycana meum.

Reverendiss: ac Perillustri D. Wenceslao à Bilenberg, Motropol. Ecclesiæ Pragensis Decano &c.

Non nudo tantùm candorem in nomine præfers,
Majorem totô pectore & ore geris.

Can-

Candidus in plumis, niger eſt in corpore cygnus,
Plurimus eſt candor, nulla nigredo, Tibi.
Imò candoris mons integer ecce! Bilenberg!
Cujus apex ſerò candicet! atque diu!
* *Bilenberg* idem quod *albus mons*.

Egreſſus foras flevit amarè. Matth. 26.

Ad quem perjurus ſedit, reſtingvat ut ignem,
Ex oculis, tanquam fontibus, haurit aquas.

Invitatus ad epulum, nimis diu procraſtinanti.

Convivam me ſæpe tuum promittis habere:
Verborum ſatis eſt! fio vel inde ſatur.

Secundò in eundem.

Culpa Coci, non Culpa tua eſt, (nisi fallor) Amice,
Quòd propè ſeſqui-anno fercula quinq; pares.

Tertiò in eundem.

Dum cocti accurrant lepores, aſſæque columbæ
Uſque volent, menſæ ſpem dabis anne tuæ?

Luſco philomelarum aucupi.

Luſcinijs nomen dedit auceps lumine luſcus,
Quô, cupiens unam prêndere captus erat.

Cardinalis Columna e ſui ficûs immoritur.

In pomo quondam mortem glutivit Adamus,
In ficu mortem glutijt, iſte ſuam.

Quod

Quodsi tanta suo de cardine mota Columna est,
Mors! ficum ostentet nulla Columna tibi!

Novum martyrij genus in S. Xaverio.

Martyrio magnus Xavier non defuit unquam,
Defuit hoc illi; Martyrium ecce novum!

Ostreorum guloni.

Paschalem cùm posthabeas Conchylibus agnum,
Dici aptè possunt ostrea, Pascha tuam.
Unô sæpe die scis glutire ostrea centum,
Quoddam æquor ventrem suspicor esse tuum.
* Ostern Germ. Pascha.

Amor futilis.

Blandis in verbis, risu, manuúmque pedúmque
Plausibus, hoc ævi tempore, constat amor.

Parcæ.

Dictæ à parcendo, non nôrunt, parcere Parcæ,
Nemo in parcendo parcior esse potest.

De jejunio verno ad Hollandiam.

Esurie siquidem nostra, ô Hollandia vivis,
Catholicis debes vitam, animámque tuam.

Salpa.

Salpa, Latinorum placitô, simul audit asellus,
Sicut asellus enim, sic neque salpa sapit.

Passer marinus.

Æquoreus passer, stomachô conducit ùt asser,
Dignus fasciculô, fasciculúsque rogô.

Halec

Halec.

Plùs ſalis in tina poſt mortem devorat halex,
Quàm fors in vivis hauſerit antè ſali.

Carpio.

Notus in Evropa piſcis, cui Carpio nomen,
Quòd valeat carnem reddere, córve pium.

Perca.

Utendum parcè percis, licèt eſſe ſalubres
Credimus, in dandis eſt aqua parca nimis.

Lucius.

Lucius à cauda laudatur, ſi ſit edendus,
Inſtandum capiti ſi capiendus erit.

Anguilla.

In quavis villa non eſt angvilla, ſed illa,
Quæ priùs angvillas poſſidet ære graves.

Trutæ, ſeu auratæ.

Trutas commendant maculæ, pulchrô ordine ſparſæ,
At maculas ipſas immaculata caro.

Caſtor & Huſo.

Præ reliquis ſapiunt, ſatiantq; hi: Caſtor & Huſo;
Huſo alter Pollux Caſtoris eſſe poteſt.

Delphinus & Siren.

Delphinus celer eſt; at ſiren voce, canora,
Ille homini fidus, perfida at illa nimis.

Gran-

Grandia Cete.

Non tam monſtra maris ſunt hæc, quàm viva charybdis.
Navigijs totis vix ſatianda ſatis.

Salmo Rex piſcium.

Salmo inter piſces Rex eſt, nullíque ſecundus,
In violis regnat ſvaviùs,inque Roſis.

Cauda equina apud Turcos ſignum belli.

Facturus finem Sultanus pacis & æqui,
Appendi caudam mandat iniquus equi.
Scilicet in cauda bellum deprædicat æquum
Et jubet aptari in prælia rurſus equum.
Quanquam aliud bellum ſyrma hoc deſignet equinum,
Scilicet ad plures hic equus hinnit equas.
O Chriſti athletæ! frænos imponite mulo,
Dum finem indomiti cernere detur equi.

Chriſto ſpinis coronato.

Cùm Tuus in ſpinis manaret ſangvine vertex,
Plùs nobis doluit quàm Tibi, Chriſte, Caput.

Excellentiſſim: D. Generalis Tillius p. m. (cujus pientiſſima Oratio recèns typis vulgata) plusquam Tullius.

Tullius Orator populum in ſua ſenſa trahebat,
Tillius Orator ſub ſua vota DEUM.

Caſtra

Castra secutus erat, longè magìs astra secutus,
Astra secundabant castra, Ducémque Deus.

Ex divitijs luxus & faustus.

Tam propè divitias fastus luxúsque sequuntur,
Quàm sequitur motum Corporis umbra sui.

Enorme frigus per Januar. & Febr: 1684.

Debuit aut Scythicis frigus valedicere terris,
Aut malè Germanos nos putat esse Scythas.
Canescunt, paritérque tremunt, juvenísq; senéxq;
Tantùm non fornax ipsa, focúsque tremunt.

Ovenus.

Ex versu arguto plus laudis haberet Ovenus,
Si non fœdâsset carmina multa Venus.

Adulator & Adulter.

Detestandus adulator, damnandus adulter,
Alter Heri numos quærit, & alter Heram.

Præ viro mulier orco aptior.

Fletus in inferno quia dicitur esse futurus,
Aptior inferno fœmina, quàm vir erit.

Novo Endymioni.

Ad lectum ad lethum! dicebat Lipsius olim,
Nîl (ais) hôc lethô lætius esse potest.

Ad S. Mariam Magdalenam.

A tergo aggrederis Jesum? quasi verò retrorsū,
Qui merus est oculus, cerneret ille nihil.

Divo Aurelio.

Cor geris ignitum dextrâ Auguſtine? flagranti
Anguſtum eſt cordi pectus utrumque DEO.

Mendaci.

Eſt adeò ſolenne tibi non dicere verum,
Vix valeas, quamvìs dicere vera velis.

Unimano longurioni.

Unius cubiti poteris, vir mance, vocari,
Quantumvìs Goliâ vix videare minor.

In excipiendis convivis admodum parco.

Pranſuros priùs eſſe domi condiximus omnes,
Quando voles epulo nos adhibere tuo.

R. P. Gaſpari Schotto è Soc. JEſu XXII. librorum de re mathematica erudito Scriptori.

Haud nudum ſortitus eras à Gaſpare nomen,
Doctrinam pariter Gaſpar adeptus eras.
Si tibi fluxiſſet cum Gaſpare vita, futurus
Certè, à Caſparo Rege, ſecundus eras.

Spiritus S. in lingvis igneis.


Venit in ignitis Divina Columbula lingvis;
Scilicet ante nimis frigida lingva fuit.

De

De S. Joannne Nepomuceno, cui ærea recenter Statua, in ponte Pragensi, de quo in Moldavam projectus erat, posita est.

Profuit arcanum Reginæ, abscondere Regi;
Ad palmam inprimis Naufrage, Dive, Tuam!
Æreus, atque ipso propè durior ære fuisti,
Secretum quando pandere jussus eras.
Æreus idcirco Tibi stat modò jure Colossus,
Qui famam vulget, Dive, silendo, Tuam!





CENTURIA X.

Ad Auguſtiſſimum Imperator: LEOPOLDUM, *etiam ejusmodi Muſas non aſpernantem.*

SUmã meis laus iſta metris! lauri inſtar & auri!
Si fuerint abs Te Cæſare digna legi.

Sereniſſimo Archi-Duci Joſepho.

Imperium cum Patre Tibi, non ſufficit unum,
Tu pomum capies imperiale novum.
Joſephis oriens clariſſimus extitit olim,
Illic imperium te manet ergo Tuum.

Ad ſereniſſimam Sveciæ Reginam Chriſtinam.

Ingeniô, lingvis, calamô virtutéque polles,
Æquivales Virgo pluribus una viris!

Illuſtriſſ: cuidam Poëtriæ ſuper ejuſdem elogio Româ dato.

Antiochia olim decimæ ſub nomine Muſæ
Evdociæ ſtatuam juſſerat eſſe ſacram.

Ro-

Restat ut undecimæ statuam sub nomine Musæ
Nunc jubeat Vati surgere stemma Tibi.

Celeberrimæ Fürstenbergicorũ prosapiæ.

Quiddam principibus proprium, cognomine in ipso,
Se nobis offert ô veneranda Domus!
Propria Principibus celebrata sagóque togáque
Est Pallas; pariter propria, utroque Tibi.

Popelÿ Lobkovicÿ 250 millibus ramum de spinea Christi Corona redemerunt, quæ etiamnũ penes familiam asservatur.

Millia bis centum quinquagintáque dederunt
Pro spina Christi! millia mille darent!
Spina illis feret ista rosas, & mille coronas,
Quæ sinè flore illis tam pretiosa fuit.

Ad S. Bartholomæum.

Dicitur extensum ceu pellis maxima Cœlum,
Ponis ob hanc pellem Bartholomæe Tuam!

Ad Magnates.

Quantùm quis crescit, tantùm decrescere debet,
Nè velut ex alto fulgur * in ima ruat.

* *Videbam sathanam sicut fulgur cadentem. Luc.* 10.

Cuidam Equisoni.

Mirè dilaudas extinctum nuper equellum,
Par de defunctis est bene quippe loqui.

De Gentilitijs S. Ignatij lupis geminis.

Romano quondam imperio, lupa profuit una,
Plus prosunt gemini nunc Tibi Roma lupi.

Inclytæ Urbi & Universitati Salisburgensi, in qua Scientiarum arbitri è familia D. Benedicti.

Collectum venio, non sparsum, sálque salésque;
Nî ligna in silvam ferre minora velim.
Nempe Salisburgi nequeunt non esse Salinæ,
Unde queat Salibus Sal superesse meis.
Hisce (inquam) Salibus potiori parte prophanis,
Sal benedictus ibi, Sal Benedicte, Tuus.

Sapiens & Sapientia.

Entia si solùm sapiat Sapientia, stulta est,
Ens à se, Sapiens qui sapit; ille sapit.

Laus propria.

Quæque suam laudare solet vulpecula caudam;
Cum nullo confert syrmate, syrma suum.

Lectori.

Ut mea quis (Lector!) probet omnia, & omnia laudet,
Ingenij partum censeat esse sui.

Cuidam immerito.

Munia gessisti fateor non infima quæque,
Multùm illis debes tu, nihil illa tibi.

Viam

Viam gratiæ calcanti.

Tres Charites præiere viam quam nuper inisti,
His prodromis planum ſvavéq; fiet iter.

Aliud eidem.

Gratia præcedit, ſequitur deîn gloria, tecum
Conſimili prorſus fit ratione modò.

In obſidione unicè neceſſaria.

Nil absque armentis armamentaria proſunt,
Et neutrum prodeſt, ſi manus, ósque deeſt.

Illuſtriſſ: D. D. Ferd: S. R. I. Comiti Popel de Lobkovicz ſupremo Venationum Præfecto in Bohemia.

Non ſolùm Cervos nec Apros venabere tantùm,
Orpheus in Caſſes geſtit abire Tuos.

Illuſtriſſ: D. D. Wenceslao Czabelizky S. R. I. Comiti, ſub nuperam contagionem fortunatiſſimo Pragæ Pro-Gubernatori.

Innumeras inter mortes ſpectatáque latè
Funera, cùm Pragam eſt depopulata lues:
Integer omnino ſalvúsque perinde ſtetiſti,
Acſi eſſes expers corporis, æsque fores.
Vnde immortalis poteras tunc penè videri,
Dignúsque idcirco qui videare diu!

Ad eundem Illustrissimum de gloriosa morte Illustrissimi Fratris in obsidione Viennensi 25. Augusti occisi 1683.

Frater germanus pulchrô pro Cæsare fatô,
Lethali Thracum glande petitus, obit.
Vulnus id excepit pectus, muri instar, amore,
Cæsaris, ô quantus pectoris hujus honor!
Vixit in Augusto, qui Augusto vivere dixit,
Cuî in Te pergit vivere, Fratre suo.

S. Bernardus inter instrumenta Passionis.

Plurima Bernardum circumstant symbola mortis
Mortis nimirum symbola, Christe, Tuæ.
Lancea, Crux, spinæ. clavi, flagra, spongia, funes,
Aut pro Te, aut Tecum vult citò Christe mori.

Petræ scissæ sunt. Matth. 27.

Dissiluēre petræ, Jesu moriente, volebant,
O Homo! duritiem frangere saxa tuam.

Et monumenta aperta sunt. Ibidem.

Multorum, patienre Deô, patuere sepulchra,
Mortua cum Christo mors, tumulanda fuit.

Magnatum superbia.

Fastus Magnatum se prodit corpore totô,
Solâ duntaxat mente tumente, latet.

Ho-

Honores mutant mores.

Immutant passim mores cùm dantur honores,
Officiosa placent, obsequiosa jacent.

Et tenebræ factæ sunt in universa terra. Lucæ 23.

Extinctô Jesu cœpit tenebrescere Cœlum,
Luxerunt, pullâ veste, vel astra Deum.

Sol obscuratus est. Ibidem.

Christô deliquium passô, sol deficit ipse,
Soli namque Deo gloria, Paulus ait.

Lepusculus Martialis.

Martius armorum mensis, mera prælia spirat,
Sæpe tamen timidus prodit ad arma lepus.

Poëtæ claudo.

Non tam Scazontē, quàm claudo poplite Scazon,
Hexametrum in gressu pentametrúmq; refers.

Ver bellorum ferax.

Vere solent ad bella foras procedere Reges,
Fortunæ metuant, flore cadente, suæ.

Pictura rari artificij.

Compressis si non labijs pinxisset Apelles,
Artificis laudes posset imago loqui.

Petrus Rodericus S. I. sub mortem flagellô in se desæviens.

Sangvineis moriens pingebat terga lituris;
Æternaturum perficiebat opus.

S. Theresia ab Angelo sagittata.

Dum telô ignitô cor Virginis aliger icit,
Ictus hic, emplastrum vel panacea fuit.

De S. Christophoro ut plurimùm in parietinis templorum pingi solito.

Statura in cœlis si par non omnibus esset,
Christophorus longè maximus esset ibi.
Scilicet affixus templis, noctésque diésque
Hæret in obsequijs, pusio Christe, Tuis.

Fidicini facilè principi.

Tam scitè chordas fidium tu radere nôsti.
Noveris ut chordis radere corda magis.

Clemens X. familiâ Altierius, Pater universalis.

Per sex, quos sedit Clemens Altèrius annos,
Alterius potiùs quàm suus ille fuit.

Laus Urbis Plsnæ in Bohemia.

Plsna Bohemorum vetus Urbs, atq; inclyta gestis,
Armis, Doctrinâ, Religione, sacris.

E se-

E ſenis unam tantùm vocalibus Alpha!
Continet, uſque adeò conſona ſemper amat!
Alpha (inquã) quod ei, me judice, ſignat Amorẽ,
Quem dudum Cives promeruêre ſui.

Claus, Saxonis morio, floccô percuſſus moritur.

Percutitur Claus (placuit ſic ludere) floccô;
At floccus flocci non fuit, ictus obit.

Innocentia ſæpe vapulat ùt rea.

Flos nive candior, vita inculpata; nec abs re:
Sæpe venenatus bruchus utrumque petit.

Æreus in ponte Pragenſi Crucifixus, ab arte imprimis pretioſus.

Ærea (quam ſtupeas,) Chriſti morientis imago;
Artifici potiùs cerea, viſa fuit.

Ubi fraus compertu difficilis.

Oeconomus, Molitor, braxator, ovilio, ſcriba,
Fraudibus innumeris inſidiantur heris.
* *Opilio quaſi ovilio. Calepinus.*

De Gnomonica.

Sol facit illuſtrem, de qua modò ſcribimus, artem,
Quam ſimul obſcuram gnomonis umbra facit.

Fames in Ægypto, & aquæ in ſangvinem verſæ, ad Pharaonem.

Præter pincernam datus eſt in vincula piſtor,
Hinc metuenda fames Rex fuit, indè ſitis.

Fabiorum numero 300. pro patria mors.

Ter centum Fabij patriæ moriuntur amore,
Nunc ſimiles, mera ſunt fabula, credo, fabæ.

Juris utriusque Doctor quis?

Doctorem Juris dicendum utriusque putârim,
Qui recti ac æqui jus docet, Idque facit.

Author totius Univerſi.

Author naturæ Deus eſt, naturáque rerum,
Ergo! totius fons & origo Deus.

Ad S. Franciſcum Seraphicum pro Chriſto pauperrrimum.

Omne Tibi pretium vile eſt Franciſce, nihilq;
Unica paupertas eſt pretioſa Tibi.

Cuidam verſuto.

Prodere ſermo ſolet, mutató nomine mores,
Quid faciat, porrò diſpice, ſermo tuus.

Chriſtus triduo in ſepulchro.

Tres à morte dies in terræ corde quievit,
Poſt conſummatum grande ſalutis opus.

Plus

Plus fuit ergo pati Numen, quàm cuncta creâsse,
Cùm satìs una dies quâ requiêsset, erat.

De inscriptione templi Delphici. S. I. ex Plutarcho.

SI, fuerat quondam Delphis inscriptio templi,
Ad Socios JEsu pertinuisse putem?
Venturos jam tunc præsagus Apollo timebat
In templum quòd ijs jus, tripodémque foret.

S. Judas Thaddæus & Judas Iscariotes.

Judæ Thaddæo Simon Chananæus adhæsit,
Simonia istum concomitata fuit.

Nemo non Medicus.

Tot propè nunc Medici numerantur in orbe, quot ægri,
Ut propè jam quævis vendicet herba suum.

De apparitione S. M. Magdalenæ in horto.

Prima resurgentem, Marcô referente, Maria
Vidit; at hæc pariter prima, secunda * fuit.
* *Secunda à Matre Dei.*

JESUS in specie Hortulani visus.

Magdala dum florem Nasarenum quærit in hortô
Ecce Olitor, florem qui redolebat, adest!

Neo-Doctori Medico.

Ægris proficuam Petri cùm legeris umbram,
Esse

Esse voles Medico, promptiùs umbra seni.

Ars medica omnibus, unicè scitu necessaria.

Nil potiùs vitâ; nil denique charius illâ,
Quidnî omnes Galeni Hippocratésque sumus?

Tessera Jesuitarum propria IHS.

Transeat in veram, conficta calumnia, laudem,
Quæ Iesuvitas fingit Habere Satìs.
Confirmat Xavier; satìs est, satìs inquit, & inquit,
Nam Si Habeo Iesum, non peto plura, sat est!

Illustrissimis Fratribus Ferdin. & Franc: M. de C. & W.

Jam vetus ac tritum est; rara est concordia fratrū,
Vestra etiam rara est, & quia rarus amor.

Eximiæ virtutis Viro,

Vix valeas si fortè velis, desistere cœptis,
Usque adeò virtus est dominata tibi.

Festum Adami pridie Natalis Domini.

Antêit Natalem Christi, Natalis Adami:
Causa, quòd is nasci debuit, ille fuit.

De Psalmo quinquagesimo.

Quinquagesimus est psalmus Miserere; supremus,
O utinam psalmus, sit Miserere, meus!

Pri-

Primus erit versus totum Miserere; secundus,
Imponent super altare tuum vitulos!

Saxonia nunc acatholica.

Quantum ad divini sementem & fænora verbi,
Non malè Saxoniam dixeris esse petram.

Bibino.

Sæpe Bibine tibi non poto, sed opto salutem,
Potas non optas sæpe Bibine mihi.

Ad pervetustam Maloveciorum Gentem.

A Mediolano medium retulistis equellum:
Haud profugi, totô non eguistis equô.

Inter Nymphæas stirpis MartinicZianæ, Stella media, Sternbergiorum.

Has ego Nymphæas quasi quasdam ex æthere Nymphas
Dijs in connubium suspicor esse datas.
Has inter sidus radiat quas prensat & ambit,
Quò cognata illis esse vel astra queant!

Optimi Parentis optimo filio F. S.

Te similem natura tuo facit esse Parenti,
At longè virtus ingeniúmque magis.

Prænobili D. Mathiæ L. recèns in Senatum cooptato.

Sors in Mathiam cecidit, fecítque beatum,

Cùm

Cùm ſorte undenis connumeratus erat,
Undenis acceſſiſti cùm nuper amice,
Se meritis voluit ſors ſociare tuis.

Admodum hebeti.

Quõdam ajunt aſinum, quâ neſcio gente, voratũ,
Hanc tu nôſſe ſtude, nè comedare, fuge.

Se Deum Patrem ſtultiſſimè credenti.

Si quis ſit, neſcis, ſtultorum maximus, audi!
Reflexa in ſpeculo dicet imago tibi.
Filius æterni cùm ſit, Sapientia, Patris,
Abſque hac, æternus quî Pater eſſe queas?

ROMA quid?

Eſt Regina Orbis, (Roma urbs) quia Mater Amoris
Nam Roma, inversô nomine, fiet Amor.

Author cancrini Carminis, dæmon, æternùm reprobus.

Quomodo retrogradus relegit veſtigia cancer,
Author cancrini carminis ire nequit.

Illuſtriſſimo D. D. Bernardo L. B. de Wieznik.

Nil veſter Canibus Canis invidet aſtra duobus,
Cuî Cœlum præbet teſſera veſtra ſuum.

De fracta S. Ignatij tibia ictu tormenti.

Ænea vix fuerat fors fiſtula glande ſoluta,
Oſſea Lojolæ tibia fracta fuit:

Quid modò concentu virtutum ſvavius iſtô,
Cuî hæc principium tibia fracta dedit?

De æquinoctio.

Menſuræ noctis, par eſt menſura diei,
Non ideò fuerint nóxque diéſque pares.

Lepidus Galbæ muſurgi, præ ſenio lippientis, error.

Galba ſénex, muſurgus erat, jam lippus utroque,
Is penè obruerat vociferando chorum.
Accidit ut folium fors muſca inſederit olli,
In qua quadratam tunc ratus ille notam:
Cùm celerem non una fugam caudata juberet,
Per tactus reboans ſubſtitit ille duos.
Illico grande chaos peperit confuſio vocum;
Riſerit ut plenô quisque liene chorum.
Intereà dum Galba notam fortè indice monſtrat
Mox nota deſertâ ſede quadrata volat.
O importunam tibi Galba miſellule muſcam!
Non fuit hæc certè muſica, muſca fuit.

De lingvis Angelorum ad Theologum.

Angelicè loquitur quisquis mendacia neſcit,
Nullus enim mendax, Angelus eſſe poteſt.

Ad Illuſtriſſimas Guttenſteinianā & Zvrtbyanam familias, de gentilitia utriusq; teſſera, ambabus communi: Ex Paprocio.

O Magnæ ſtirpes Patriæ! cognatáque ſignis,
Guttenſteiniadûm Zvvrtbyadúmque Domus!
Quàm veſtra in lucis virtus eluxerit olim,
Teſtatur donis ipſa Diana ſuis.
Cornua ſex Vobis (Cervorum?) in præmia ceſſit,
Quæ modò ſunt Clypei pulchra corona ſui.
Cornua quæ Cœlo attollunt ceu brachia ramos,
Augurio, multa in ſecula, & aſtra, bonô.
Cornua quæ Divis ipſis * cognata fuêre,
Et Vobis *cornu*, ſpero, *ſalutis* erunt.

** S. Ludmila ex hac familia.*

Ad Illuſtriſſimam Wratislaviorum proſapiam.

Primævos nomen ſpirat virtute Bohemos,
Unde revertatur Gloria * priſca Patrum.
Gloria quæ proavis, abavis, atavíſque vigebat,
Candor in innocuo pectore, in ore rubor.
Hinc Clypeô veſtrô geminos fert teſſera campos,
Indè quidem rubei ſangvinis, indè niger.
Nigrum nempe nigrum Patres vocitare ſolebant,
Album contrà, album dicere moris erat.
O Campi illimes, ſimiléſque innubibus aſtris!
Hæc! hæc! conſtanter Gloria veſtra fuit.

** VVratislavv idem Boh.* quod *redux gloria.*

In ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra. Pſalm. 136.

Quæ radice caret, nulla eſt, quæ frondeat arbor,

Præ-

Præterquam una Salix: tam solet esse salax.
Hinc aptè in salicum ramis hæc organa pendent;
Præsertim, ùt dicta est, à saliendo salix.

Illustrissimo D. D. Joanni de Clary & Altringen S. R. I. Comiti.

Ad Clarium quondam Divus consedit Apollo,
Invenit Claryum Te mea Musa novum.

De duodecim signis Zodiaci.

Interstincta suis sunt divertoria signis,
Et sua bissenis Sol notat astra notis.

Aries.

Vim patitur Cœlum; sola id violentia vincit,
Arîete pugnandum est; qui quatit, astra rapit.

Taurus.

Ecquis lascivum promovit in æthera Taurum?
Traxerit in Cœlum fortè juvenca Venus.

Gemini.

Nobile par fratrum Gemini, cum Castore Pollux,
Ob nexum, geminô dignus uterque polô!

Cancer.

Retrogradè quôvis sol astra pererrat in anno,
Cancer eum reditûs admonet iste sui.

Leo.

Addictum sphæris qui nesciat esse Leonem,
Affixum sphæræ cœlitus esse videt.

Vir-

Virgo.

Formosa hæc Virgo, si Virgo manere volebat,
In cœlis, meritò Jure, locanda fuit.

Libra.

Qui tribus in digitis terrarum appenderat orbem,
Jam tunc Justitiæ lancibus, usus erat.

Scorpius.

Scorpio Cœlestis minitatur in orbe scelestis,
Se stillaturum virus in hosce suum.

Sagittarius.

Aptior est Castris, quàm pacis amantibus astris,
Nî pharetratus Amor saucia corda velit.

Capricornus.

Suspicor, evasit Capricornus in æthera saltu,
Cùm jaceret montes fortis in astra Gigas.

Aquarius.

Flammarum nè sint metuenda incendia Cœlo,
Perpetuas illic iste ministrat aquas.

Pisces.

Quæ, pisces muti, passim jejunia signant,
Piscibus in Cœlo promeruere locum.

Septem Planetæ.

Errantes stellas numeramus in æthere septem,
Nempe Planeta in se septem elementa gerit.

Lu-

Luna.

Luna planetarum, Cœlô infima, proxima terræ;
Deliquijs adeò parvula facta suis.

Mercurius.

Lunam inter Venerémq; situs, cū corpore parvos
Mercurius, furum creditur esse Deus.

Venus.

Mane præit Soli, præcurrit vespere Lunam,
Quò faveant, puero Lunáque Sólque suo.

Sol.

In medio Sol est; tribus hinc, tribus inde Planetis
Adstitibus; quidni Rex utriusque poli?

Mars.

Vicenis quatuor Mars mensibus astra pererrat,
Quô pactô Mensis Martius omnis erit.

Jupiter.

Bissenis Cœlum decurrit Jupiter annis.
Ergóne non senior quàm duodennis erit?

Saturnus.

Annis terdenis Saturnus conficit Orbem,
Importátque famem sæpius; esur adhuc?

Lucifer.

Quomodo de Cœlo cecidisti Lucifer olim?
Casus hic, occasus manè orientis erat.

Epi-

Epilogus.

Centuriæ decumæ, ſunt terminus ultimus aſtra;
O Cœlum! ô vitæ terminus eſto meæ!

Lectori.

Evadent mera grana ſalis, mea ſenſa ſaléſque,
Si tu cum grano legeris illa ſalis.

FINIS.





OPERIS.